natiuitate eiusdem Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto indictione octaua, die verò decimatertia mensis Iulij Pontificatus Sanctissimi in Christo patris & Domini nostri Domini PII diuina prouidentia Papæ IIII. Anno sexto, ego Notarius publicus infrascriptus pro parte admodũ Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini Domini Gasparis de çuñiga, & Auellaneda Dei, & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopi Compostellani, & eius nomine habita, & mihi primitus, & ante omnia per Illustrem & Reuerendissimum Dominum Dominum Ioannem de sant Millan Episcopum Legionensem viua voce data, & concessa licentia in testium infrascriptorum præsentia retroscriptas originales monitionis, conuocationisque literas per præfatum admodum Illustrissimum & Reuerendissimũ Dominum Archiepiscopum Compostellanum decretas & roboratas præfato Illustri, ac Reuerẽdissimo Dño Dño Ioanni de sant Millã Episcopo Legionensi ibidẽ præsenti, videnti, & vt apparuit, intelligẽti, legi, ac de verbo ad verbũ recitaui, declaraui, intimaui, ac ad ipsius indubitatã notitiã, prout meliùs potui deduxi, ipsiq; de omnibus & singulis in eis descriptis certioraui, locumq́, & terminum in eis præfixum & assignatũ præfixi, & assignaui, copiamq́, literarum huiusmodi Illustris ac, Reuerendissimæ dominationi suæ tradidi, & in

eius posse dimisi, præfatus quoq; Illustris, ac Reuerendißimus Dominus Episcopus sic per me monitus, & conuocatus literas huiusmodi pro sibi legiti mè intimatas habuit, & habere dixit, & se responsionem infra tempus debitum dare promisit. Acta fuerunt hæc intra aulam Episcopalem Legionensis ciuitatis sub anno, die, mense & Pontificatu, quibus supra, præsentibus ibidem Dominis Gaspare Rodriguez Alfonso de Tobar dicti domini Episcopi familiaribus, ac Baccalaureo Melchiore Alfonso de Llanos canonico Legionensi testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

DEINDE verò intra dictam aulam Episcopalem Legionensem decimaquinta mensis Iulij, anno indictione & Pontificatu quibus supra, præfatus Illustris ; ac Reuerēdißimus Dñs Dñs Ioānes de sant Millan Episcopus quandam responsionem mihi Notario prædicto in testium infrascriptorum præsentia dictæ intimationi respondendo dedit, tradidit, ac legere, & perlegere fecit, cuius tenor sequitur & est talis. EGO Ioannes Emilianus Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Legionensis fateor per Notarium infrascriptum, aut etiam suprascriptum mihi coram testibus ab eo designatis fuisse lectas, & notificatas, quasdam literas Illustrißimi & Reuerendißimi Gasparis à çuñiga & Auellaneda Archiepiscopi Compostellani conuo-

connocatorias concilij Prouincialis per suam Illustrißimam dominationem in ciuitate Salmantina die decimaquarta mensis Augusti huius præsentis anni millesimi quingẽtesimi sexagesimi quinti con gregandi. Et quia ego præfatus Ioannes Episcopus sponte elegi tanquam immediatus summo Pontifici ad præfatum Dominum Illustrißimum Archiepiscopum, & eius Cõcilium Prouinciale accedere, & aggregari, ideo curabo acquiescens prædictarum literarum admonitioni, & exhortationi, ac requisitioni comparere coram prædicto Illustrißimo Domino Archiepiscopo, & eius Prouinciali concilio die, ac loco per suam Illustrißimam dominationem aßignatis. Datis Legioñ. decimaquinta die mensis Iulij anni supra memorati. Acta fuerũt hæc vt supra præsentibus ibidem testibus, quibus supra. ET EGO Franciscus *Gutierrez de Cienfuegos Legionensis publicus Apostolica authoritate Notarius, quia dictarum literarum conuocatoriarum intimationi, & notificationi omnibusque alijs, & singulis præmißis vnà cum prænominatis testibus interfui, eaque omnia, & singula debitè fui executus, & executioni debitæ demandaui, ea propter hic me signaui, subscripsi, & publicaui in fidem omnium præmissorum rogatus, & requisitus. Franciscus Gutierrez Cienfuegos.*

GASPAR

GASPAR de çuñiga & Auellaneda Dei, & Apostolicæ sedis gratiâ Archiepiscopus Cōpostellanus, eiusdemq́; ciuitatis dominus, à sacris Regię Maiestatis maior, & eius cōsiliarius Legionēsisq́; regni notarius maior, &c. admodū Reuerēdis Decano & Capitulo ecclesiæ Legionēsis salutē in Domino sempiternā. Noueritis, ꝙ cùm nos, vt ex nostræ Metropolitanæ dignitatis officio, ac ex decretorum sacrosancti generalis Cōcilij Tridētini ordinatione tenemur, celebrationem Prouincialis synodi in ciuitate Salmantina pro die Assumptionis intemeratæ, ac gloriosissimæ virginis Mariæ proximè ventura indixerimus, ac nostros suffraganeos

neos aliosq́; conuocandos conuoca uerimus, & capitula nostræ Compostellanæ, dictarumq; suffraganea rum ecclesiarũ inuitauerimus, prout in literis eisdem capitulis directis plenius continetur, quarum tenor sequitur sub his verbis.

GASPAR de çuñiga & Auellaneda Dei & Apostolicę sedis gratia Archiepiscopus cõpostellanus, eiusdemq́; ciuitatis dominus, à sacris Regiæ Maiestatis maior, ac eius cõsiliarius, legionensisq́; Regni notarius maior, &c. Reuerẽdis viris Dominis Decanis & capitulis nostræ cõpostellanæ ecclesiæ aliarumque sanctarũ ecclesiarũ cathedraliũ nobis suffraganearum salutem in eo, qui est vera omnium salus. Cum in ob-

in obseruationem sacrorum canonum, & obedietiam Sanctissimi domini nostri Papæ, & sacrosancti cõcilij generalis Tridentini licet vsq; in præsens tempus varijs & vrgentissimis causis impediti id differre compulsi fuerimus, concilium prouinciale cum Reuerendissimis dominis coepiscopis nostris, & alijs prælatis, & personis huius nostræ Compostellanæ prouinciæ in eo de iure vel consuetudine interuenire debentibus celebrare intendamus, ideo vobis conuocationẽ dicti prouincialis Concilij, in ciuitate Salmãtina, quam velut locum ad id aptissimum hac duntaxat vice saluis iuribus nostræ Metropolitanæ ecclesiæ Cõpostellanæ, & sine illius præiudi-

iudicio elegimus ad diẽ Aſſumptio
nis intemeratæ, & glorioſiſsimę vir
ginis Mariæ, quæ erit decimaquinta
menſis Augusti proximè ſequentis
per nos decretam & publicatam ſi-
gnificamus, & ad aſsiſtendũ in eo,
& veſtrum ſalubre conſilium circa
morum reformationem, exceſſuũ
correctionem, controuerſiarum cõ
poſitionem, ac eorum, quæ in dicto
œcumenico cõcilio Tridentino dif
finita, & ſtatuta ſunt, receptionem,
obſeruantiam, & executionem, nec
non alia, quæ ad Dei omnipotentis
laudem in eodem concilio tracta-
buntur, vt de vobis & de veſtra cha
ritate ſperamus, prout de iure de-
beatis, & valeatis, præſtandum vos
tenore præſentium inuitamus, &
mo-

monemus. Et quia omnes vos in concilio prædicto aſsiſtere, & iſtas inſignes eccleſias dimittere non valetis, vos in viſceribus Ieſu Chriſti hortamur, vt vnũ vel duos ex quolibet capitulo, qui iſta veſtra Reuerenda capitula repræſentent; cum authenticis, & ſufficiẽtibus mandatis ad dictã diem; & locũ præfatum mittatis, qui nomine veſtro in dicto prouinciali concilio aſsiſtant, & in ijs, quæ ibidem tractabuntur, ſuũ ſalubre conſilium iuxta iuris diſpoſitionem ſeu de conſuetudine vobis competat, nobis, & Reuerẽdiſſimis prælatis Comprouincialibus noſtris ibidem præſentibus, certificantes vos, quòd ſiue in dicto concilio Prouinciali compareatis, ſeu

 coni

comparere distuleritis, ad illius cele brationem, & conclusioné procedere non omittemus. Datis in oppido deMadrid Toletañ. diœcesis anno domini millesimo quingentesimo sexagesimoquinto, die vero decimatertia mensis Aprilis. Gaspar Archiepiscopus Compostellanus. mandato Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini mei Archiepiscopi. Antonius Alguibar Apostolicus Notarius, & secretarius.

CVMQVE Reuerédissimus Dominus Episcopus Legionésis, ac vester prælatus secutus dicti Cócilij Tridétini formã decreuerit in nostra Prouinciali Synodo inter esse, illiq; adhærere, ac nos de sua huiusmodi deliberatione certiorasset,

 nosque

damus vobis, quatenus nomine no ſtro illos, & eorum quemlibet, & ſingulariter ad dicti cõcilij prouincialis celebrationem vocetis, ſeu citetis, vocari, ſeu citari faciatis, præcipientes eis ſub dictis cẽſuris, & pœnis quatenus, die, & loco aſsignatis in eodem prouinciali concilio compareant, & ad intereſſendum in eo & alia quæ de iure & conſuetudine eis competat, faciendum, nos enim circa hæc fraternitati veſtræ cõmittimus plenariè vices noſtras, eam in ſuper hortantes, vt in iſta veſtra Cathedrali, alijſq; veſtrarum ciuitatũ, & Diœceſis eccleſijs preces quotidianæ ad Dominum Deum, eiuſq; pijſsimã matrem & totam curiam cæleſtem indicantur, tandiu duratu

ræ,

ræ, quoad dicti concilij Prouincialis celebratio durauerit, vt diuina maiestas omnes actus nostros ad eius seruitium, ac animarum profectum, & reipublicæ Christianæ augmentum dirigat, placitaq; sibi nos statuere, & ordinare faciat, & à iusti tiæ, & rationis tramite nos deuiare non permittat, nos enim in nostræ Compostellanæ ciuitatis, & diœcesis ecclesijs idẽ fieri curabimus. Datis in oppido de Madrid Toletañ. diœcesis, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, die verò decimatertia mensis Aprilis.

CVM QVE postea dominatio vestra ex Decretis præfati Cõcilij generalis Tridentini tenere

tur viciniori, quem elegisset, Metropolitano ad eius Synodum adhærere, nos per suas literas certificauit, se velle in dicta nostra prouinciali Synodo interesse. Quocirca dominationem vestrã in domino attentè rogamus, monem°, exhortamur, & quatenus opus sit, sub pœnis à sacris canonibus, & concilio statutis requirimus, vt visis nostris præinsertis literis prouincialis Synodi indictiuis, iuxta earum seriem, & tenorem eas, quod attinet ad dominationem vestram adimplere, moneatq; & mandet, quicquid ex ipsarum tenore monendum, & mandandum fuerit, ac dicto nostro prouinciali concilio personaliter die, & loco statutis intersit, necnon Abba-

tes,

tes,omnimodam, & actualem, ac perpetuam iuriſdictionem Epiſcopalem habentes,qui de iure ,vel hactenus obſeruata conſuetudine,aut dictæ Synodo intereſſe debent,aut poſſunt,moneat,citet, & conuocet, vt ad diem nobis præfixum, & locum deſtinatum perſonaliter ſe pręſentent, rogantes vos, vt in omnibus eccleſijs, & monaſterijs, veſtræ Diœceſis pro ſalubri, ac quieta huius Synodi directione & progreſſu preces indicat, vt dominus noſter Ieſus Chriſtus miſericordiarum, & totius conſolationis Deus ſanctum ſuum ſpiritum cordibus noſtris infundat, vt ſolùm ea,quæ ſuæ maieſtati placita ſunt, tractemus,& ordinemus, inſuper & veſtram domina

tionem requirentes, vt inuitationẽ, & conuocationem, quam ad istud vestrum Reuerendum Capitulum dirigimus, illi notificare, & illam, quam ad cæteros vestræ Diœcesis mittimus, publicè legere, & valuis vestræ ecclesiæ Cathedralis appone re faciatis, & relinquatis. Datis in oppido de Madrid Toletañ. diœcesis quinta die mẽsis Iulij, Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto. Gaspar Archiepiscopus Compostellanus. Mandato Illustrissimi, ac Reuerendissimi Domini mei Archiepiscopi. Antonius Alguibar Apostolicus Notarius & secretarius.

IN NOMINE DOMINI Amen. Per hoc publicum instrumentum cunctis pateat euidenter, & sit notum, quòd anno à

natiuitate eiusdem Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto indictione octaua, die verò decimatertia mensis Iulij Pontificatus Sanctißimi in Christo patris & Domini nostri Domini PII diuina prouidentia Papæ IIII. Anno sexto, ego Notarius publicus infrascriptus pro parte admodũ Illustrißimi ac Reuerendißimi Domini Domini Gasparis de çuñiga, & Auellaneda Dei, & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopi Compostellani, & eius nomine habita, & mihi primitus, & ante omnia per Illustrem & Reuerendißimum Dominum Dominum Ioannem de sant Millan Episcopum Legionensem viua voce data, & concessa licentia in testium infrascriptorum præsentia retroscriptas originales monitionis, conuocationisque literas per præfatum admodum Illustrißimum & Reuerendißimũ Dominum Archiepiscopum Compostellanum decretas & roboratas præfato Illustri, ac Reuerẽdißimo Dño Dño Ioanni de sant Millã Episcopo Legionensi ibidẽ præsenti, videnti, & vt apparuit, intelligẽti, legi, ac de verbo ad verbũ recitaui, declaraui, intimaui, ac ad ipsius indubitatã notitiã, prout meliùs potui deduxi, ipsiq; de omnibus & singulis in eis descriptis certioraui, locumq́, & terminum in eis præfixum & aßignatũ præfixi, & aßignaui, copiamq́, literarum huiusmodi Illustris ac, Reuerendißimæ dominationi suæ tradidi, & in

eius posse dimisi, præfatus quoq; Illustris, ac Reuerendissimus Dominus Episcopus sic per me monitus, & conuocatus literas huiusmodi pro sibi legitimè intimatas habuit, & habere dixit, & se responsionem infra tempus debitum dare promisit. Acta fuerunt hæc intra aulam Episcopalem Legionensis ciuitatis sub anno, die, mense & Pontificatu, quibus supra, præsentibus ibidem Dominis Gaspare Rodriguez Alfonso de Tobar dicti domini Episcopi familiaribus, ac Baccalaureo Melchiore Alfonso de Llanos canonico Legionensi testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

DEINDE verò intra dictam aulam Episcopalem Legionensem decimaquinta mensis Iulij, anno indictione & Pontificatu quibus supra, præfatus Illustris ; ac Reuerēdissimus Dñs Dñs Ioānes de sant Millan Episcopus quandam responsionem mihi Notario prædicto in testium infrascriptorum præsentia dictæ intimationi respondendo dedit, tradidit, ac legere, & perlegere fecit, cuius tenor sequitur & est talis. EGO Ioannes Emilianus Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Legionensis fateor per Notarium infrascriptum, aut etiam suprascriptum mihi coram testibus ab eo designatis fuisse lectas, & notificatas, quasdam literas Illustrißimi & Reuerendißimi Gasparis à çuñiga & Auellaneda Archiepiscopi Compostellani

conuo-

conuocatorias concilij Prouincialis per suam Illustrißimam dominationem in ciuitate Salmantina die decimaquarta mensis Augusti huius præsentis anni millesimi quingētesimi sexagesimi quinti congregandi. Et quia ego præfatus Ioannes Episcopus sponte elegi tanquam immediatus summo Pontifici ad præfatum Dominum Illustrißimum Archiepiscopum, & eius Cōcilium Prouinciale accedere, & aggregari, ideo curabo acquiescens prædictarum literarum admonitioni, & exhortationi, ac requisitioni comparere coram prædicto Illustrißimo Domino Archiepiscopo, & eius Prouinciali concilio die, ac loco per suam Illustrißimam dominationem aßignatis. Datis Legioñ. decimaquinta die mensis Iulij anni supra memorati. Acta fuerūt hæc vt supra præsentibus ibidem testibus, quibus supra. ET EGO Franciscus Gutierrez de Cienfuegos Legionensis publicus Apostolica authoritate Notarius, quia dictarum literarum conuocatoriarum intimationi, & notificationi omnibusque alijs, & singulis præmißis vnà cum prænominatis testibus interfui, eaque omnia, & singula debitè fui executus, & executioni debitæ demandaui, ea propter hic me signaui, subscripsi, & publicaui in fidem omnium præmissorum rogatus, & requisitus. *Franciscus Gutierrez Cienfuegos.*

GASPAR

GASPAR de çuñiga & Auellaneda Dei, & Apostolicæ ſedis gratiâ Archiepiſcopus Cõpoſtellanus, eiuſdemq; ciuitatis dominus, à ſacris Regię Maieſtatis maior, & eius cõſiliarius Legionẽſiſq; regni notarius maior, &c. admodũ Reuerẽdis Decano & Capitulo eccleſiæ Legionẽſis ſalutẽ in Domino ſempiternã. Noueritis, ꝙ cùm nos, vt ex noſtræ Metropolitanæ dignitatis officio, ac ex decretorum ſacroſancti generalis Cõcilij Tridẽtini ordinatione tenemur, celebrationem Prouincialis ſynodi in ciuitate Salmantina pro die Aſſumptionis intemeratæ, ac glorioſiſsimæ virginis Mariæ proximè ventura indixerimus, ac noſtros ſuffraganeos

neos aliosq; conuocandos conuoca
uerimus, & capitula nostræ Com-
postellanæ, dictarumq; suffraganea
rum ecclesiarũ inuitauerimus, pro-
ut in literis eisdem capitulis directis
plenius continetur, quarum tenor
sequitur sub his verbis.

GASPAR de çuñiga & Aue-
llaneda Dei & Apostolicę se-
dis gratia Archiepiscopus cõpostel
lanus, eiusdemq; ciuitatis dominus,
à sacris Regiæ Maiestatis maior, ac
eius cõsiliarius, legionensisq; Regni
notarius maior, &c. Reuerẽdis viris
Dominis Decanis & capitulis no-
stræ cõpostellanæ ecclesiæ aliarum
que sanctarũ ecclesiarũ cathedraliũ
nobis suffraganearum salutem in
eo, qui est vera omnium salus. Cum
in ob-

in obseruationem sacrorum canonum, & obedietiam Sanctissimi domini nostri Papæ, & sacrosancti cócilij generalis Tridentini licèt vsq; in præsens tempus varijs & vrgentissimis causis impediti id differre compulsi fuerimus, concilium prouinciale cum Reuerendissimis dominis coepiscopis nostris, & alijs prælatis, & personis huius nostræ Compostellanæ prouinciæ in eo de iure vel consuetudine interuenire debentibus celebrare intendamus, ideo vobis conuocationé dicti prouincialis Concilij, in ciuitate Salmãtina, quam velut locum ad id aptissimum hac duntaxat vice saluis iuribus nostræ Metropolitanæ ecclesiæ Cópostellanæ, & sine illius præiudi-

iudicio elegimus ad diẽ Assumptio
nis intemeratæ, & gloriosissimę vir
ginis Mariæ, quæ erit decimaquinta
mensis Augusti proximè sequentis
per nos decretam & publicatam si-
gnificamus, & ad assistendũ in eo,
& vestrum salubre consilium circa
morum reformationem, excessuũ
correctionem, controuersiarum cõ
positionem, ac eorum, quæ in dicto
œcumenico cõcilio Tridentino dif
finita, & statuta sunt, receptionem,
obseruantiam, & executionem, nec
non alia, quæ ad Dei omnipotentis
laudem in eodem concilio tracta-
buntur, vt de vobis & de vestra cha
ritate speramus, prout de iure de-
beatis, & valeatis, præstandum vos
tenore præsentium inuitamus, &
mo-

monemus. Et quia omnes vos in concilio prædicto aſsiſtere, & iſtas inſignes eccleſias dimittere non valetis, vos in viſceribus Ieſu Chriſti hortamur, vt vnũ vel duos ex quolibet capitulo, qui iſta veſtra Reuerenda capitula repræſentent, cum authenticis, & ſufficiẽtibus mandatis ad dictã diem, & locũ præfatum mittatis, qui nomine veſtro in dicto prouinciali concilio aſsiſtant, & in ijs, quæ ibidem tractabuntur, ſuũ ſalubre conſilium iuxta iuris diſpoſitionem ſeu de conſuetudine vobis competat, nobis, & Reuerẽdiſſimis prælatis Comprouincialibus noſtris ibidem præſentibus, certificantes vos, quòd ſiue in dicto concilio Prouinciali compareatis, ſeu

comparere distuleritis, ad illius cele brationem, & conclusioně procedere non omittemus. Datis in oppido de Madrid Toletan. diœcesis anno domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, die verò decima tertia mensis Aprilis. Gaspar Archiepiscopus Compostellanus. mandato Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini mei Archiepiscopi. Antonius Alguibar Apostolicus Notarius, & secretarius.

CVMQVE Reuerendissimus Dominus Episcopus Legionensis, ac vester prælatus secutus dicti Cōcilij Tridētini formā decreuerit in nostra Prouinciali Synodo inter esse, illiq; adhærere, ac nos de sua huiusmodi deliberatione certiorasset;

nosq; prædictam cōcilij Prouincialis conuocationem;& indictionem ei notificauerimus per alias nostras literas, decensq́; ac consonum ratio ni visum fuerit, vt vos etiam de præ dicta indictione certos redderemus,& de modo, & forma in prædictis nostris præinsertis literis appositis. Quo circa vos, & quemlibet vestrũ rogamus, monemus, & in do mino exhortamur, vt visis prædictis nostris literis quidquid ex parte ve stra agendũ tractandum & implen dum fuerit iuxta illarum continen tiam agatis, tractetis, & adimpleatis, monentes insuper vos, ac requirentes, quatenus modo & forma prænarratis ad diem,& locum statu tum per vnum, aut duos ex vobis

iſtud veſtrum admodum Reueren dum capitulum repræſentantes cũ ſufficienti & ſpeciali mandato ve- ſtro intereſſe omnino curetis, vt per veſtrum ſalubre conſilium quate- nus de iure vel conſuetudine vobis præſtare competat, quod Dei fauo- re, & auxilio ſperamus de tãto con- uẽtu facilè cõſequamur. Rogamus inſuper vos, vt veſtris quotidianis orationibus & ſacrificijs humiles ad Dominum noſtrum Ieſum Chri- ſtum fundatis preces, quatenus di- gnetur noſtras, & omnium in dicto Prouinciali Concilio congregando rum intentiones, actioneſq́; dirige- re, vt in omnibus, quod noſtræ pro- uinciæ, & iſti eccleſiæ, & diœceſi, re ligioniq́; Chriſtianæ conuenit de-

terminetur, & ordinetur. Datis in oppido de Madrid Toletañ. diœcesis anno Domini millesimo quingẽtesimo sexagesimo quinto, die verò quinta mẽsis Iulij. Gaspar Archiepiscopus Compostellanus. mandato Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini mei Archiepiscopi. Antonius Alguibar Apostolicus Notarius & Secretarius.

IN NOMINE DOMINI Amen. Per hoc præsens publicũ instrumentum cũctis pateat euidenter, & sit notum, quòd anno à natiuitate eiusdem Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto indictione octaua, die verò decimaquarta mẽsis Iulij Pontificatus Sanctissimi in Christo patris & Domini nostri Domini PII diuina prouidentia Papæ IIII. Anno sexto, ego Notarius publicus infrasignatus pro parte admodũ Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Domini Gasparis de çuñiga & Auellaneda Dei, & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopi Compostellani requisitus, & eius nomine retroscriptas eiusdem Illustris-

Illustrissimi & Reuerendissimi domini Archiepiscopi conuocatorias concilij prouincialis per suã Illustrissimam dominationẽ in ciuitate Salmãtina sub die decimaquinta mensis Augusti proximè futuri anni prædicti congregandi literas originales suis nomine & sigillo roboratas, & munitas admodũ magnificis Reuerendisq; viris Decano & capitulo ecclesiæ Legionensis in suo capitulo alto supra claustrum eiusdem ecclesiæ sito per Dominũ Ioannẽm Quadrato Cantorẽ, & canonicum eiusdem ecclesiæ ad requisitionem mei dicti Notarij morẽ eorum solito, & consueto capitulariter congregatis, & ad infrascripta exequẽda adunatis, in capituloq; ipso maior, & sanior pars canonicorum & personarum dicti capituli in ciuitate Legionensi, & ecclesia prædicta residentium existens præsidensq; tunc in dicto capitulo præfatus Dominus Ioãnes Quadrato Cantor & canonicus alta & intelligibili voce legi, perlegi, intimaui, insinuaui, ac notificaui, & ad ipsorum dominorum singularumq; personarum eiusdem capituli indubitatam notitiam prout melius potui deduxi, ipsisq; de omnibus, & singulis in dictis præinsertis literis huiusmodi certioraui, terminumq; & locum in dictis literis præfixum, & aßignatũ eisdem præfixi, & aßignaui, copiamq; literarũ huiusmodi ad manus domini Melchioris Alfonsi canonici dictæ ecclesiæ generalis procuratoris dicti capitu-

li tradidi, & in eius posse dimisi, praefatiq; domini Decanus, & capitulum praedicti literas huiusmodi pro sibi intimatis habendo responsionem suam infra tempus debitum dare promiserunt, & dixerũt, praesentibus ibidem dominis Petro Diez & Petro de Medina Ianitoribus minoribus dictae ecclesiae, & Antonio Diez laicis Legioneñ. testibus ad praemissa vocatis & rogatis.

DEINDE verò die decimasexta dicti mensis Iulij anno, indictione, & Põtificatu praedictis in mei Notarij publici testiumq; infrascriptorum praesentia praefati domini Decanus & capitulũ dictae Legionensis ecclesiae respondẽdo intimationi & cõuocationi dixerunt se fore paratos, & dispositos, ad faciendum & exercẽdum, quoad dictum Prouinciale Concilium omnia & singula quae de iure vel consuetudine tenentur & obligati existunt, praesentibus ibidẽ domino Petro Diez & Petro de Medina Ianitoribus minoribus eiusdẽ ecclesiae, testibus vocatis & rogatis. Et ego Franciscus Gutierrez de Cienfuegos Legionensis publicus Apostolica authoritate Notarius, quia literarũ praedictarum intimationi, publicationi, & executioni, omnibusq; alijs, & singulis praemissis vna cũ praenominatis testibus interfui, ac omnia debitè executus fui, ideò hic me subscripsi & signaui in fidẽ praemissorũ rogatus & requisitus. Frãciscus Gutierez Cienfuegos notarius.

GASPAR

GASPAR de çuñiga & Auellaneda Dei & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus Compostellanus, eiusdemque ciuitatis dominus à sacris Regiæ Maiestatis maior, & eius consiliarius, Legionensisq; regni notarius maior, &c. Admodum Reuerēdis dominis Abbatibus, Prioribus, ac alijs omnibus, & singulis omnium & singularum Ecclesiarum collegiatarum tam secularium, quàm regularium, ac monasteriorum cuiusuis ordinis, inferioribus prælatis, nec non plebanis, Rectoribus, & alijs omnibus, & singulis, quorumcunq; beneficiorum curatorum, aut simplicium quouis nomine nuncupentur Beneficiatis, cæterisq; omnibus personis tam

ecclesiasticis, quàm secularibus, cuiusuis qualitatis gradus aut conditionis existant in diœcesi Legionẽsi commorantibus, quos negotium infrascriptum tangit quomodolibet salutem in domino. Noueritis quòd nos aliàs pro nostræ prouinciæ in spiritualibus bono regimine, ac morum, & aliorum corrigendorum correctione, ac diuini cultus augmento prouincialem Synodũ in ciuitate Salmantina ad diem Assumptionis beatissimæ, & intemeratæ virginis Mariæ, quæ erit decimaquinta mẽsis Augusti proximè venturi conuocauimus, prout in nostris literis, quas hic pro pleniori omniũ vestrum instructione inseri mandauimus, continetur, quarum

tenor talis est vt sequitur.

GASPAR de çuñiga & Auellaneda Dei, & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus Compostellanus, eiusdēque ciuitatis dominus à sacris Regiæ maiestatis maior, & eius consiliarius, Legionensisq; regni notarius maior, &c. Omnibus & singulis Abbatibus & Prioribus, ac alijs prælatis inferioribus omnium & singularum ecclesiarū collegiatarum tam secularium quā regularium tam titularijs, quàm cō mendatarijs, & earū capitulis, nec non plebanis Rectoribus, & beneficiatis tā curatis, & seruitorijs quàm simplicibus, aut alijs quarumcūq; parrochialium, & aliarum ecclesiarum, Guardianisq; & Prioribus seu

alijs prælatis quorumcunq; monasteriorum, seu domorum quorumuis ordinum etiam Mendicantium, ac alijs quibuscūq; vniuersitatibus, collegijs, hospitalibus, seu eorū rectoribus, confraternitatibus, & personis, tam ecclesiasticis quàm laicis ciuitatis, & diœcesis talis, ac aliarū quarumcunq; ciuitatum, & diœcesum in nostra Compostellana prouincia existentiū, cuiuscunque nobilitatis, status, gradus, aut cōditionis existāt, tam exemptis quàm nō exemptis salutē in domino nostro Iesu Christo, qui est omnium vera salus. Notum vobis facimus, quòd in obseruationem sacrorum Canonum, & obedientiā Sanctiss. domini nostri Papæ, ac sacrosancti œcu-

menici

menici Tridentini Concilij quãuis vſque in præſens tempus alijs iuſtiſſimis ducti impedimentis (quod vehemẽter dolemus) id adimplere nequiuerimus ſacrum prouinciale Cõcilium cum Reuerẽdiſsimis fratribus dominis coepiſcopis comprouincialibus noſtris & alijs prælatis ac Cathedralium eccleſiarum capitulis dictæ noſtræ Compoſtellanæ prouinciæ prout ad eos ſeu eorum quoſlibet de iure, ſeu cõſuetudine, interuenire, ſeu aſsiſtere, aut alias ſpectat, in ciuitate Salmantina, quã vt locum ad id mirum in modum aptum, ſaluis iuribus noſtræ Metropolitanæ eccleſiæ & ſine illius præiudicio hac vice dũtaxat elegimus, præcipuè autem, vt res tam ardua
in

in vniuersitate tam celebri explicetur, vbi tanta est peritissimorum virorum copia, & eam velut matrem nostram obnixè diligimus, ac veneramur, ad diem Assumptionis Beatissimæ, ac gloriosissimæ semper virginis Mariæ, quæ erit decimaquinta mensis Augusti proximè futuri, conuocādum duximus, & cōuocanimus, prout quatenus opus sit serie præsentium conuocamus, vt in eo de ijs, quæ morum moderationem, excessuum correctionem, cōtrouersiarum compositionem, & alijs, quæ cultus diuini augmētum, & subditorum vtilitatē & quietem concernūt, tractetur, &, quæ iusta, & honesta fuerint, statuātur, & diffiniantur, præcipuè autem circa re-

ceptio-

ceptionem, & obseruationem eorum, quæ à dicto sacro Cõcilio Tridentino sanctè, & salubriter decreta & statuta existunt, & eorum debitam executionem, vt nostro incumbit oneri, attendatur. Quæ omnia facillimè fieri speramus diuina clementia fauente sub protectione Regis nostri Philippi, qui per suas literas in his suum regium auxiliũ, omnemq; nobis pollicitus est fauorem. Quocirca vos omnes supradictos & vestrum quemlibet tenore præsentium monemus, hortamur, & inuitamus, ac quatenus vestra intersit, & ad id teneamur citamus, vt si aliqua de his, quæ in dicto sacro Prouinciali Concilio iuxta intentionem nostram vobis superius expplica-

plicatā sunt tractanda, diffinienda, & statuenda, vobis, aut alteri cuicunq; visum fuerit, aut aliquod interesse circa ea prætenderitis dicta, die cū continuatione dierū sequentium in ciuitate Salmantina prædicta compareatis, & ea nobis, & dicto sacro Prouinciali cōcilio nostro insinuare curetis, pollicemur enim de vobis per vos, aut quemlibet vestrū seu aliū quẽcunq; ibidẽ, vt præmittitur deducẽdis, & allegādis eā omnimodam nos habituros rationẽ, quæ de iure habẽda erit, iustitiāque æqua lance, & absq; acceptione personarū, omnibus ad dictum sacrum Prouinciale Concilium recursum habentibus nos paratos esse ministrare, certiorantes vos, q̄ siue ali

qui ex vobis cōpareant, ſiue nō, nos cum Reuerendiſsimis Comprouincialibus noſtris, & alijs ſupradictis ad celebrationem huiuſmodi Concilij Prouincialis procedere non omittemus. Et quia impoſsibile eſſet, prædicta ſingulorum auribus incul care, & quemlibet veſtrum de præmiſsis ſigillatim certiorare, præſens noſtrum edictū manu noſtra ſubſcriptum, & noſtro ſigillo munitum, ac per ſecretarium noſtrum clauſum, & ſignatum in iſta Eccleſia, & in alijs Cathedralibus Eccleſijs huius noſtræ prouinciæ publicari, & in valuis dictarū eccleſiarum copiam illius affigi iuſsimus, decernentes intimationem modo prædicto faciendam perinde valere, acſi perſo-

personaliter cuilibet veſtrum facta fuiſſet. Rogamus inſuper vos, & in domino hortamur, vt ad omnipotentem Deum beatiſsimamq; Virginem Mariam, reliquãq; curiam cęleſtẽ preces pro dicti Concilij Prouincialis felici concluſione, & vt Deus, & dominus noſter, quæ ſancta, & fidelibus vtilia erunt, nos diffinire, & ſtatuere faciat, & à iuſtitiæ & rationis tramite diſcedere non permittat, preces effundere non prætermittatis, & vt quemlibet veſtrum tangit, in veſtris cœnobijs ecclesiaſticis, & domibus huiuſmodi preces fieri curetis. Nos enim omnibus & ſingulis, qui orationẽ dominicam & ſalutationem Angelicam ad effectum prædictum quinquies recita-

recitauerint, quoties id fecerint, indulgentiã quadraginta dierum concedimus, & in Dño elargimur. Datis in oppido de Madrid Toletañ. diœcesis, anno Dñi millesimo quingẽtesimo sexagesimoquinto, die verò decimatertia mensis Aprilis. Gaspar Archiepiscopus Compostellanus. Mandato Illustrissimi, ac Reuerendissimi Domini mei Archiepiscopi. Antonius Alguibar Apostolicus Notarius, & secretarius.

CVM verò postmodum Reuerendissimus Dñs vester Antistes, vt ex sacro Tridentino Concilio omnibus Ecclesiarũ præsulibus iniungitur, nostræ Prouinciali Synodo adhærere prò salubri suæ diœcesis directione, morumq; eiusdem

reformatione, & excessuum correctione elegerit, nosq; de suo huiusmodi laudabili proposito certiorasset, & nos etiam vice versa eidem Reuerẽdissimo Dño vestro Episco po nostrũ huiusmodi Conciliũ Prouinciale per alias nostras literas tẽpus & locum eiusdẽ continẽtes insinuauerimus, volẽtesq; etiã vos oẽs, & vestrũ quẽlibet, quos negotium infrascriptum tãgit admonere, has nostras monitorias, citatorias, inuitatorias, ac requisitorias literas ad vos decernere & mittere decreuimus, quarum tenore vos attentẽ in Dño rogamus monemus & exhortamur, vt diligẽter visis, & consideratis nostris prçinsertis literis vos omnes, & quilibet vestrũ prout sibi

in Do-

in Domino videbitur expedire tam pio ſancto ac Chriſtiano conuẽtui vos præparetis, & præparet, easque literas adimpleatis, obſeruetis, & cuſtodiatis, ac quicquid de iure vel cõſuetudine à vobis pro huiuſmodi Synodo fuerit petẽdum, præparandum, agẽdum, aut tractãdum paretis, agatis, tractetis, vt inſtructi in ea cõpareatis, rogantes inſuper vos, vt interim, ſanctis, & pijs operibus intenti ex viſceribus charitatũ veſtrarum ſupplices ad Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum mittatis preces, vt Spiritum ſanctum paracletum, qui nobis determinanda determinet, ſuggeratque, quicquid diuinæ Maieſtati, pro huius ſanctæ Synodi, & veſtræ diœceſis directione placitũ

 fuerit,

fuerit, mittat. Datis in oppido de Madrid Toletañ. diœcesis, Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimoquinto, die verò tali. Gaspar Archiepiscopus Compostellanus. Mandato Illustrissimi, ac Reuerendissimi Domini mei Archiepiscopi. Antonius Alguibar Apostolicus Notarius & secretarius.

QVIBVS quidem præinsertis monitionis, cōuocationis, ac citationis literis ad Ecclesiã Cathedralem Legionẽsem accessi, & ibidem in choro alto eiusdẽ Ecclesiæ infra missarũ, & aliarũ horarũ solennia post Symboli Niceni decantationẽ, meq; notario existente in dicto choro alto eiusdẽ Ecclesiæ, ibidemq; admodũ Illustri, ac Reuerẽ-

disſimo Dño Dño Ioanne de ſant Millã Epiſcopo Legionẽſis eccleſiæ prædictæ vnà cũ capitulo Canonicis & clericis, alijſq; eccleſiaſticis perſonis eiuſdẽ eccleſiæ, & alia dictæ ciuitatis, & populi multitudine ad diuina audienda cõuenientibus exiſtentibus præinſertas literas originales prædictas alta, & intelligibili voce recitaui, ac palam & publicè de verbo ad verbum omnibus propter hoc ſilentium habentibus, & audientibus legi, & publicaui, perlegi, & notificaui, ac ad ipſarum perſonarum notitiam prout melius potui deduxi, & de congregatione Prouincialis Concilij, & omnibus alijs in dictis literis deſcriptis, & cõtentis certioraui, terminumq; & lo

cum in eiſdem præfixum, & declaratum præfixi, & declaraui. Quibus ſic peractis, & pro dictarum præſentium literarum meliori, & reali executione, & complemento literas originales præinſertas huiuſmodi ad valuas principalis eccleſiæ huiuſmodi per edictum publicum, etiam publicaui, intimaui, & notificaui, eaſdemq; literas in vna ex dictarum valuis, ſeu portis in ſignum veræ & realis executionis, citationis, & publicationis affixi, & ibidē originales dimiſi affixas. Acta fuerunt hæc in ciuitate Legionēſi ſub anno indictione die menſe, & Pontificatu quibus ſupra, præſentibus ibidem Roderico de Ferreras, Ioanne de Salazar, & Antonio Lopez, &

magiſtro Bartholomęo de Cepeda, Ioanne Velaſco ciuibus Legionenſibus teſtibus, & quàm plurimis alijs. Et ego Franciſcus Gutierrez de Cienfuegos Legionenſis publicus Apoſtolica authoritate Notarius, qui literarum præinſertarum huiuſmodi intimationi, publicationi, omnibusq́ue alijs & ſingulis præmiſsis interfui, eaq́ue omnia executus fui: ideo hoc præſens publicum inſtrumẽtum in his tribus folijs præſenti charactere computato ſcripſi, ſignaui, ſubſcripſi, publicaui in fidẽ rogatus. Frãciſcus Gutierrez Cienfuegos notarius.

HAc ſeruata forma mutatis nominibus fuit conuocatus Epiſcopus Ouetẽſis exẽptus, & capitulum

lum Ouetense inuitatum, cæteriq́; omnes tam ecclesiastici, quàm laici illius diœcesis citati, qui Episcopus, & capitulum facturos se, quod in dictis literis conuocatorijs continebatur, retulerunt.

Prorogationũ forma.

GASPAR de çuñiga & Auellaneda Dei, & Apostolicæ sedis gratia Achiepiscopus Cõpostellanus, eiusdéque ciuitatis dominus, à sacris Regiæ maiestatis maior, & eius consiliarius, necnon Legionensis Regni notarius maior, &c. Reuerendissimis Episcopis Cóprouincialibus, & suffraganeis nostris, ac Reuerendis

Deca-

Decanis, & capitulis nostræ præfatæ ecclesiæ Compostellanæ,& aliarum ecclesiarum Cathredalium,cęterisq́; omnibus, tam ecclesiasticis quàm secularibus, salutẽ in eo, qui est omnium vera salus. Notificauimus vobis, & vestrum cuilibet, & per mandatum speciale, & per edictum generale in singulis Cathedra libus ecclesijs nostræ Compostellanæ prouinciæ publicatum, ac in valuis prædictarũ ecclesiarum affixum intimari fecimus conuocationem Prouincialis Cõcilij, asignantes vobis locum, & diem ad dictum concilium habendum, & celebrãdum, prout in dictis literis conuocatorijs, inuitatorijs, & citatorijs vobis iam notis,& intimatis pleniùs Con-

 tinetur.

tinetur. Et licèt nostræ semper fuerit intentionis die indicta celebrationem Concilij Prouincialis huiusmodi incipere, & illud ad debitum finem perducere, verũ impedimenta, quæ nos eiusdem Concilij Prouincialis cõuocationem differre coegerunt in dilatione eadem aliquãtulũ adhuc persistere (quod graue nobis est) in præsentiarũ etiã cõpellunt, cõfidimus tamen , quòd diuinæ bonitatis clementia hoc breui tẽpore duraturum impedimetum ob meliorem laborum nostrorum frugem permiserit, tum quòd ob infestos calores diem cõparitionis, quẽ priùs præfixeramus, venientibus ad dictum Prouinciale Concilium graues infirmitates generare posse timen

mendum erat,tum etiã,quia res tã-
ti põderis, quæ cũ maxima maturi-
tate ſunt tractandæ, maius tempus
ad illas præueniendum requirere vi
debantur:conſiderantes inſuper, ꝙ
iuxta iuris regulam mora pauci tẽ-
poris nocere non ſolet,imò quando
que negotijs grauibus vtilis eſſe con
ſueuit, ideo diem, & terminum
conuocationis dicti Prouincialis
Concilij ad diem beati Bartho-
lomæi,quæ erit vigeſimaquarta mẽ
ſis Auguſti proximè ſequentis in
eadem ciuitate Salmantina proro-
gandum cenſuimus, vt cum præ-
ſentibus prorogamus, abſoluentes
vos, & quemlibet veſtrum à com-
paritione facienda in die Aſſum-
ptionis beatæ Mariæ,vt dictum eſt,

præ-

præfixa, tempusq; cōparitionis huiusmodi ad dictum diē beati Bartho lomæi proximè venturi extendentes, prorogantes, & ampliantes, ita vt omnia per dictas nostras literas cōuocatorias, inuitatorias, & citatorias cōtenta, repetita, & vobis Reuerēdissimis Comprouincialibus nostris ac Reuerendis Decanis, & capitulis nostræ præfatæ Ecclesiæ Cōpostellanæ, & aliarū prædictarū Ecclesiarū, & alijs quibuscūq; in dictis literis contentis, prout omnibus cōuenit de iure vel consuetudine ad diem prædictam, ad quā prorogamus huiusmodi Cōciliū Prouinciale, censeantur, prout quēlibet tāgit, iniuncta, tempore comparitionis, & inchoationis duntaxat mutato.

In

In cuius rei teſtimonium præſentes manu noſtra ſubſcriptas, noſtroq́; ſigillo munitas, & per Notarium infraſcriptũ noſtrũ ſecretarium referendatas fieri mandauimus, & fecimus. Acta fuerũt hæc in oppido de Madrid Toletañ. diœceſis, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimoquinto, die verò vigeſimanona mẽſis Iulij. Gaſpar Archiepiſcopus Compoſtellanus. Mandato Illuſtriſsimi ac Reuerendiſsimi Domini mei Archiepiſcopi. Antonius Alguibar Apoſtolicus Notarius & ſecretarius.

IN NOMINE DOMINI Amen. Per hoc præſens publicum inſtrumentum cunctis pateat euidenter, & ſit notum, quòd anno à natiuitate Dñi milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto die verò triceſima mẽſis Auguſti hora

hora secũda post meridiẽ. Ego Ioãnes de Cobas cleri cus Cõpostellanus publicus Apostolica autoritate notarius retroscriptas literas intimaui, insinuaui, publicaui, & notificaui in alma Ecclesia Compostellana, ac in valuis prædictæ Ecclesiæ affixi, quæ ibi affixæ fuerunt à præfata hora secunda eiusdem diei vsque ad noctẽ, præsentibus ibidem ad publicationem & affixationem huiusmodi Francisco Vazquez & Petro de Ventojo clericis Compostellanæ ciuitatis, & diœcesis, ac domino Roderico mercatore incola præfatæ ciuitatis ad præmissa vocatis, et rogatis. Et quia ego Ioãnes de Cobas clericus Compostellanus Apostolicus notarius præmißis omnibus vnà cum prænominatis testibus rogatus interfui, ideo de mandato Domini Prouisoris Compostellani hìc me subscripsi, ac meum solitum & consuetum signum apposui requisitus. Ioannes de Cobas Apostolicus notarius.

GASPAR à çuñiga & Auellaneda miseratione diuina Archiepiscopus Compostellanus, eiusdemque ciuitatis dominus, à sacris Regiæ Maiestatis maior, & consiliarius, necnõ Legionensis Regni Notarius

tarius maior,&c. Reuerendiſsimis Epiſcopis Comprouincialibus, & ſuffraganeis noſtris, Reuerendiſsimiſque Legionenſi,& Ouetenſi,ac Reuerendis Decanis, & capitulis noſtræ Eccleſiæ Compoſtellanæ,& aliarũ Cathedralium Eccleſiarum, cæteriſque omnibus tam eccleſiaſticis, quàm laicis ſalutẽ in eo, qui eſt vera ſalus. Stabat ſanè ſententia Prouinciale Concilium iam antea ad Aſſumptionem beatæ Virginis Mariæ in vrbe Salmãtina indictum poſt celebratum Diuum Bartholomæum, ad quem diem magnis de cauſis fuerat per nos prorogatum inchoare, nunc tamen abſentia aliquorum Reuerendiſsimorum Epiſcoporum,quorum aliqui ſiue propter

pter nimios æſtatis ardores,ſiue pro
pter alia negocia adhuc abſunt, &
alijs de cauſis mouemur,imò veriùs
cogimur, vt eius conuocationem
ad diẽ Natiuitatis beatiſsimæ Virgi
nis, quæ erit octaua menſis Septẽb.
proximè venturi in eadem ciuitate
Salmantina, ad quam fuerat conuo
catum prorogemus,vti pręſentibus
prorogamus,abſoluẽtes vos & quẽ-
libet veſtrum à cõparitione facien-
da in die beati Bartholomæi, vt di-
ctum eſt,præfixa, tempuſque cõpa
ritionis huiuſmodi ad dictũ diẽ Na
tiuitatis beatiſsimæ virginis Mariæ
proximè venturæ extendentes,pro
rogantes,& amplliantes, ita vt om-
nia per dictas noſtras literas cõuoca
torias,inuitatorias, & citatorias cõ-
tenta

tenta repetita, & vobis Reuerēdissi
mis Comprouincialibus nostris ac
Legionensis, & Oueteñ. Episcopis,
ac Reuerendis Decanis, & capitu-
lis prædictæ nostræ Ecclesiæ Com-
postellanæ, & aliarū prædictarum
Ecclesiarum, & alijs quibuscunque
in dictis literis contentis prout om-
nibus conuenit de iure vel consue-
tudine, ad diem prædictā, ad quam
prorogamus huiusmodi Cōcilium
Prouinciale, censeātur, prout queli
bet tangit iniuncta tempore com-
paritionis & inchoationis duntaxat
mutato. In cuius rei testimonium
pręsentes manu nostra subscriptas,
nostroq; sigillo munitas, & per No-
tarium nostrum secretarium infra-
scriptum referēdatas fieri mādaui-

 mus,

mus, & fecimus. Acta fuerũt hæc in ciuitate Salmãtina die vigesimatertia mensis Augusti anno Dñi millesimo quingentesimo sexagesimo quinto. Gaspar Archiepiscopus Cõpostellanus: mandato Illustrissimi ac Reuerẽdissimi Domini mei Archiepiscopi. Antonius Alguibar Apostolicus notarius & secretari⁹.

CVNCTIS pateat, & sit notũ, quòd anno à natiuitate Domini nostri Iesu Christi millesimo quingentesimo sexagesimoquinto, die verò quarta mensis Septembris ego Rodericus de Vinal clericus Compostellanæ diœcesis, ac publicus Apostolica authoritate notarius de mandato admodum magnifici, Reuerẽdiq; Domini Doctoris Sebastiani

bastiani Carriazo prouisoris Archiepiscopatus Cõpostellani valuis sanctæ Ecclesiæ Compostellanæ de la Quintana nuncupatis retroscriptã Illustrissimi Reuerendissimiq; Domini Gasparis à çuñiga & Auellaneda Archiepiscopi Cõpostellani prouisionẽ, Cõcilijq; Prouincialis in ciuitate Salmãticensi celebrãdi proro gationem affixi, ibiq; per longũ spacium dimisi, præsentibus ibidẽ mag nifico, & Reuerendo Domino Ioan ne Martinez Ternero præfatæ Eccle siæ Compostellanæ Cardinali, & Iacobo Mãriquez collegiatæ Ecclesiæ ciuitatis de la Coruña canonico, & Petro de Ezcaray collegij sancti Spiritus præfatæ Compostellanæ Ecclesiæ portionario, atque Iaco-

bo Friuz clerico præfatæ Cōpostellanæ diœcesis testibus ad præmissa vocatis specialiter, atque rogatis. In quorum fidem me subscripsi. Rodericus de Vinal notarius Apostolicus.

INITIA CONCILII.

CONGREGATIS iam Salmāticæ Illustrissimo Archiepiscopo, ac admodū Illustri Comite Montacutano, & Reuerendissimis suffraganeis Episcopis, ac ferè omnibus procuratoribus Ecclesiarum, cùm iam apertionis Concilij tēpus adesset, Archiepiscopus

vniuersæ

vniuersæ prouinciæ deuota ieiunia & orationes aliaq; opera pia vti decebat, & mos esse solet Conciliorum, indixit publicis edictis, quorum hæc erat series.

GASPAR à çuñiga & Auellaneda miseratione diuina Archiepiscopus Compostellanus, eiusdemq; ciuitatis dominus, Regiæq; Maiestatis Capellanus maior, & eius consiliarius, necnon Legionensis Regni Notarius maior, &c. Reuerendisimis Episcopis, qui in hoc Cócilio Prouinciali congregari debent iuxta sacrorum canonum & Conciliorum sanctiones, ac omnibus alijs personis tam huius insignis vrbis Salmanticę, quàm aliarum ciuitatum, & locorum nostrę Com-

poſtellanæ prouinciæ ſalutẽ in Domino ſempiternã. Auſpicia ab orationibus, ieiunijs, & eleemoſynis du cere veterum Conciliorũ mos erat, quo diuina bonitas his præclaris ope ribus exorata, benigniori quodã afflatu patrũ pectora perfunderet, & in rebus grauiſsimis diffiniendis tanquam manu regeret, quam prudentiſsimam, & pietiſsimam conſuetudinem nos ſecuti, cùm animaduerta mus negocia ardua, & maximi ponderis, atque momenti fore illa, quæ in noſtro hoc Concilio Prouinciali, Deo auſpice, ſunt diſcutienda, & tra ctanda, omnes Chriſti fideles cuiuſcunque ſexus, ſtatus, gradus, & con ditionis ſint monemus, & exhortamur (ne quid prætermittamus eo-

rum quæ ad nostrum munus spectant (vt per hos dies interim dũ aperitur Cõciliũ, in preces, ieiunia, eleemosynas, reliquaq; opera pia incumbãt ardentissimè Deũ maximũ precari, vt prosperos successus det nostro cõuentui iãiam inchoãdo, atq; ipsa in illo constituat, quæ in diuinã gloriam, almæ fidei propagationem sacrosanctiq; Tridẽtini Cõcilij executionem cedãt, & nostrę Cõpostellanæ prouinciæ fructuosa, vti speramus, sint futura. Ijs autẽ, qui se in huiusmodi Christianis operibus exercuerint, octoginta dies indulgentiæ pro nostra Archiepiscopali dignitate concedimus & elargimur. Datis in hac vrbe Salmãtina postridie Calẽd. Septemb. anno Domini millesi-

mo quingẽteſimo ſexageſimoquinto. Gaſpar Archiepiſcopus Compoſtellanus. Mandato Illuſtriſsimi ac Reuerẽdiſsimi domini mei Archiepiſcopi. Antonius Alguibar Apoſtolicus Notarius, & Secretarius.

SEPTIMA die mẽſis Septẽb. cũ admodũ Illuſtris Comes Mõtacutanus, qui iam vrbem ingreſſus fuerat, vt nomine Philippi Regis noſtri inuictiſsimi Cõcilio intereſſet, Illuſtriſsimũ Archiepiſcopum adijſſet, ac ſalutaſſet, ſeq; velle dixiſſet Catholicæ Maieſtatis Philippi Regis noſtri literas Concilio Compoſtellano reddere, Archiepiſcopus per ſuos curſores vocari Epiſcopos fecit, videlicet Petrũ Ponciũ de Leon Epiſcopũ Placentinũ, Didacũ Sar-

Sarmiento Episcopũ Astoricēsem, Franciscum Maldonado Episcopũ Myndoniēsem, Petrũ Gonçalez de Mēdoça Episcopũ Salmãticensem, Aluarũ de Mēdoça Episcopũ Abulēsem, Frãciscũ Delgado Episcopũ Lucēsem, Ioannē Ribera Episcopũ Pacensem, Didacũ de Torquemada Episcopũ Tudēsem, Iacobum Simancas Episcopũ Ciuitatēsem, Ioãnē Manuel Episcopũ Zamorēsem, Fernandũ Triciũ Episcopũ Aurien sem: Quibus in ædibus Archiepiscopi in duobus choris sedentibus, vocatis quoq; & præsentibus, Cathedraliũ Ecclesiarum procuratoribus, scilicet primo loco Doctore Frãcisco Gomez, Canonico pœnitētiario Compost. deinde locorũ non ha

bita ratione, Christophoro Vela Archidiacono & Alfonso de Abila Canonico, Abulēsis Ecclesiæ, Frācisco Guerrero Canonico Pacēsi, Doctore Ioāne Ochoa de Arteaga Canónico Lucēsi, Doctore Ioāne Delgado Canonigo Tudēsi, Bernardino del Aguila Decano Ciuitatensi, Ioāne de Almaraz portionario Placētino, Comes Montacutanus significata primùm verbis, Philippi inuictissimi Regis nostri erga Christianam religionem optima mente, atque in executionem generalis Cōcilij Tridentini, & in hāc Prouincialem Synodū animi propensione, produxit tandē literas Regias Pridie Kalend. Septemb. cōscriptas, nomineq; Regio subscriptas, quas cū secretarius

Antonius de Alguibar, audiĕtibus, omnibus, qui aderãt, perlegiſſet, Comes benigniſsimè ſuſceptus eſt, ſuoq; præſtantiſsimo loco collocatus: literæ verò regis admodum Reuerendo in Chriſto Patri Archiepiſcopo Compoſtellano, eius maiori Capellano, & Conſiliario, Reuerendis in Chriſto Patribus Epiſcopis, ſimiliterque Conſiliarijs, venerabilibus quoq; Abbatibus, & Canonicis, cæterisq; omnibus in Cõcilio Prouinciali, quod in ciuitate Salmãtica celebrabatur cõuocatis, & cõgregatis, Miſſæ in hanc fermè ſentẽtiam erãt ſcriptæ. Se perſpectis his quæ de celebrandis Concilijs Prouincialibus à ſancta Tridentina Synodo, renouatis antiquis Canonibus, & Ec-

clesiæ vsu constituta sunt, eamque re Domini Dei nostri obsequio & eius Ecclesiæ cõmodo, reformationi quoque, & administrationi Ecclesiastici status, atque executioni sacrorũ canonum, & antiquorũ Cõciliorũ, eius maximè, ꝙ nunc demũ Tridenti habitũ est futurã fructuosissimã cũ animaduerteret, omnẽ adhibuisse diligẽtiã, ne hęc effectu careret, sed vt cogeretur quã primũ huiusmodi Cõcilia, quorũ instaurationi, vsui, progressuiq; sentiat se & in præsens, & in futurum fauere oportere eã cura, quã, & nũc habet, & in omnibus, quæ ad Dei cultũ, & eius Ecclesię vtilitatem pertinebũt, habebit semper, vt Catholici Regis & Christiani principis respondeat nomi-

nomini, & ſatiſfaciat. Itaque cõgregato hoc ſancto Concilio Prouinciali, eodem ſe ſtudio, & ſolicitudine cupere, vt quà tam ſanctum decet negotiũ pace, cõcordia, quiete, & ſecuritate, & libertate id habeatur, vtque ex eo, Deo fauente, medijſque, ſancta intentione, ſtudio, literatura, prudentiaque eorum, qui aſsiſtunt, optatus fructus, atque ſperatus capiatur, id vt cõmodiùs fiat, vtque directioni progreſſui, finique huius negotij præſidium ſuum, atq; adiumentum, ſicubi fuerit neceſſarium, præſentiùs impartiatur, Exẽplo maiorum ſuorum regum decreuiſſe ſe, virum aliquem rebus gerẽdis aptum mittere, qui ſuo nomine adſit, interſitque Concilio, qualem

cum

cùm esse nouerit cognatum suum Comitem Montacutanũ, cuius prudẽtiam, studium, & bonitatem habeat perspectã, ei hãc prouinciam dedisse, iussisseque ita singula cõponere, ac temperare, vt nemo, qui ad Cõcilium accesserit, aut defuisse sibi quicquã, aut de offensione vlla, iniuria vel contumelia meritò queri posit, sed ea omnes libertate, & securitate fruantur, quæ tam sancto negocio, & congregationi conueniat, quieteque, & cũ pace vna mente, si fieri possit, atque vna voce concordißime omnia peragantur. Deniq; vt suo nomine Regiam interponens authoritatem, & manum conficiendis negotijs expediẽdoq; Cõcilio, opem auxiliũque ferat vbi-

que paratum futurum prædictũ Comitem ſiquis eius opera ad ea, quæ dicta ſunt, vti velit, eumque internuncium habiturũ cõmodiſsimũ, qui de re quapiã ſe admonendũ putauerit, Per eũdem quoque, cui maximam iubet haberi fidem, ſe quæ aduertenda eſſe iudicaſſet, explicaturum Concilio, cui diuinum affulgere lumen impenſè optare ſe poſtremo loco dicebat, & Dei optimi gratiam, vt ad eius voluntatem, & honorem omnia dirigantur.

QVIBVS perlectis, ſtatim Archiepiſcopus & ſuo, & Cõcilij nomine multa in laudẽ Catholicæ maieſtatis præfatus, immortales illi gratias deberi dixit, ꝙ tãto fauore hãc Synodũ proſequeretur, quòd

quòdq; talẽ virum misisset, qui suas vices gereret, tum etiã, quòd Tridẽ tinas sanctiones pietati, ac religioni saluberrimas, exequi, atque obseruari studiosissimè curaret. Postmodum verò Archiepiscopus, simulq; cæteri Episcopi in hãc prope sententiam rescripserunt. Acceptis per Comitem Montacutanũ suæ Maiestatis literis, maxima se gratia, atq; ingenti esse & legatione ipsa & legato affectos beneficio. Rẽ esse dignam tam Catholico Principe, & cui tot, tam amplaque Deus dederit Imperia, religionis antiquissimam, & pietatis habere rationem: certissimis enim argumẽtis, atque suæ prouidẽtiæ indicijs, regibus in hãc curam incumbẽtibus, vbique, commonstrasse

ſtraſſe Deum, ad temporale, ſpiritualeq́; reip. bonum permagni hoc eſſe momenti. Itaque quoniam frui regali eius præſentia huic Concilio non contigit, quo nihil gratius in vita, neq; optatius poſſet euenire, mirifici muneris loco habere ſe, quòd ſanctam hãc congregationẽ obumbrare regia authoritate, & intereſſe alium ſuo nomine voluerit, fore vt eius Chriſtiano exemplo, piæ omnium mentes, & recta conſilia conformentur, cæleſtem autem fauorem certiorem multo eſſe ſolere, & copioſiorem, vt plurima ſacræ ſcripturæ docent documenta populis, & populorũ principibus, quæ Dei ſunt vnà pariter cogitantibus. Cæterum quòd Comitem Montacuta-

num miserit qui pro se assideat, id propter illius multa, bonaque merita singularis se beneficij loco ponere, vsurum eius prudentia, industriaq; Concilium, vbicunq; eam, aut Dei cultui, aut expeditioni negociorum senserit esse necessariam, ei vero ipsi honorem habiturũ, qui authoritati à sua Maiestate datæ, & illi ipsi pro suo iure debeatur. Præterea sperare se, Deũ auxiliũ suum affluenter, atq; spiritũ cõmunicaturum, vt optimo huius sancti operis processu ac fine; & muneris, atq; officij sui obligationi, & ipsius menti, ac desiderio; tũ etiã horũ tẽporum necessitati abũdè satisfiat. Istam vero spem cum omniũ cõmuni voto, bonis initijs fœlicem exitũ precan-

tiũ ali, atque foueri, tũ maximè regali illius tutela, & solicitudine, quę miram omnibus securitatẽ, trãquillitatemq; præstant, pro quibus perpetuã incolumitatem, maiorũq; ditionũ, ac regnorum incremẽta ad Dei gloriam & Ecclesiæ vtilitatẽ optare se illi dicebat extrema epistola scripta Salmãticæ. XI. Calend. Octob. anno. M.D.LXV.

DIE octaua mensis Septemb. Natiuitati beatissimæ Virginis Matris Dei sacra, omnibus ad apertionẽ Concilij necessarijs compositis, publicã atq; solennissimam processionem summo mane à parrochiali Ecclesia diui Martini Illustrissimus Archiepiscopus, & ad-

modũ Illuſtris Comes Montacutanus, omnes quoq́ue Reuerendiſsimi Epiſcopi pluuialibus, mitris, & crucibus pectoralib⁹ ornati, præter Salmanticenſem, qui quòd miſſam illo die erat celebraturus, pontificijs veſtibus indutus incedebat: procuratores etiã eccleſiarum cum ipſius cathedralis capitulo, necnon totius ciuitatis clerus, ſimul & omniũ ordinũ monaſticorum religioſi ſuas cruces ſacraq́; inſignia ferentes, ad cathedralẽ, vbi ſolẽni ritu erãt aperiendum Cõcilium, deduxere: vbi celebrata miſſa, & cæremonijs quæ in tali ſolennitate adhiberi ſolent peractis, Epiſcopus Salmanticenſis tetendit in Theatrum, ex quo ad patres & populum habita fuerat concio

cio ab Archiepiſcopo, aſsidenſque in ſella, pluuiali, & mitra compoſitus, alta & clara voce recitauit decreta quæ ſequuntur, quibus perlectis, celebrata fuit
Prima Actio.

* *
*

ACTIO PRIMA, IN CONCILIO PROuinciali Compostellano sub Gaspare Archiepiscopo Salmanticæ, & in eiusdem vrbis templo Cathedralis Ecclesiæ celebrata, die Sabbati, sexto Idus Septemb. Anno à Christo nato millesimo quingentesimo sexagesimoquinto, indictione octaua, & Sanctissimi, ac Dñi nostri Papæ Pij. IIII. Pontificatus anno sexto, & vltimo, ac regni Catholici, & inuictissimi Regis nostri Philippi. II. Anno decimo.

Decretum sanctæ Synodi Tridentinæ, de celebrandis Concilijs Prouincialibus.

PROVINCIALIA Concilia sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis

dis excessibus, controuersijs componendis, alijsq; ex sacris Canonibus permissis renouentur. Quare Metropolitani per se ipsos, seu illis legitimè impeditis Coepiscopus Antioquior intra annum à fine præsentis Concilij, & deinde quolibet saltem triennio post octauam Paschæ Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, seu alio commodiori tempore pro more prouinciæ, non prætermittant Synodum in prouinciam suam cogere, quò episcopi omnes, & alij, qui de iure vel consuetudine interesse debent, exceptis his, quibus cũ imminẽti periculo trãsfretandum esset, conuenire omnino teneantur, nec Episcopi Comprouinciales prætextu cuiuslibet consuetudinis ad Metropolitanam Ecclesiam in posterum accedere inuiti compellantur. Itidem Episcopi, qui nullo Archiepiscopo subijciuntur, aliquem

vicinum Metropolitanum ſemel eligant, in cuius Synodo Prouinciali cùm alijs intereſſe debeant, & quæ ibi ordinata fuerint, obſeruent, atque obſeruare faciant, in reliquis omnibus eorum exemptio, & priuilegia ſalua, atque integra maneant. Synodi quoque diœceſanæ quotannis celebrentur, ad quas exempti, etiam omnes, qui aliàs ceſſante exemptione intereſſe deberent, nec capitulis generalibus ſubduntur, accedere teneantur, ratione tamen parrochialium aut aliarum ſæcularium Eccleſiarum, etiam annexarum debeant ij, qui illarum curam gerunt, quicunq; illi ſint, Synodo intereſſe. Quòd ſi in his tam Metropolitani quàm Epiſcopi & alij ſupraſcripti negligentes fuerint, pœnas ſacris Canonibus ſancitas incurrant.

DE-

DECRETVM PRIMVM.

* *
*

GASPAR DEI, & Apoſtolicæ ſedis gratia Archiepiſcopus Cõpoſtellanus cũ Epiſcopis Comprouincialibus, & adiunctis declarat Compoſtellanũ Concilium Prouinciale ab ipſo Archiepiſcopo in hac inſigni Vniuerſitate Salmantina conuocatum, & cõgregatum in hac die, hoc eſt, in feſto Natiuitatis beatiſsimę Virginis matris Dei, quę

est octaua mẽsis Septẽbris ad laudẽ & gloriã sanctæ, & indiuiduæ Trini tatis, ad fœlicem statũ, ac reformatione huius nostræ prouinciæ, & Ecclesiarum ei aggregatarũ incipere, & inceptum esse.

Reuerendißimi Patres, placet ne vobis?

Responderunt, *Placet.*

Decretum Secũdum.

OMNIBVS præsentibus, & absentibus ex loco asignato Reuerendissimis Episcopis, ac Reuerendis procuratoribus siue Comprouincialibus, siue aggregatis Cõcilij causa nullum cuique præiudicium factum, aut inde futurum declaratur,

claratur, ſed omnibus, & ſingulis, & quibuſcunque alijs cuiuſcunque ordinis, aut dignitatis ſint, ſua iura & prærogatiuas ſalua, & integra eſſe, & fore poſt finem Concilij, & in eodem ſtatu permanere, quo ante præſens Concilium Prouinciale reperiebantur.

Reuerendiſſimi Patres, placet ne vobis?

Reſponderunt. *Placet.*

In quorum fidem infraſcripti Secretarij Concilij ſubſcripſimus.

Petrus Velleius Gueuara Doctor.	*Antonius Alguibar Apoſtolicus Notarius & Secretarius Concilij.*

QVIBVS recitatis, Epiſcopus Salmanticẽſis ad ſtationem redijt, & promotor,

motor, & choragus Cōcili. patrum sententias ab Archiepiscopo exorsi sigillatim, & in hunc modum rogauerunt, Placet ne vobis, vel non placet? quisque autem respondit, Placet, ac promotor eius rei testimonium petijt, Secretarij quoque omnium responsa conscripsere, nimirum, Placet &c.

Posthæc Archiepiscopus, & patres Tridentinis decretis obediētes publicè & solēniter almā fidem, & Sāctæ Romanæ Ecclesiæ obsequiū rogante Archiepiscopo, & respondentibus patribus, clero, & populo in hunc modum professi sunt.

Primum omnium creditis firmiter, & confitemini omnia, & singula quæ traduntur in Symbolo fidei

in Niceno Cōcilio edito, quo sacra & Romana Ecclesia parēs, & magistra religionis in sacris vtitur? Cūq; Archiepiscopus recitasset integrū Symbolum cuncti subiecerunt.

Ita credimus & confitemur.

Confitemini etiam septem vera, & propria nouæ legis sacramenta à Christo maximo instituta, necessaria esse si non omnia omnibus, certè saluti, & incolumitati humani generis? videlicet Baptismum, Confirmationē, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, Matrimonium? eaque omnia gratiam præstare, grādeque nefas, & piaculū esse, Baptismum,

Confir-

Confirmationem, aut ordinem repeti? Cuncti responderunt,

Ita credimus & confitemur.

PROBATIS praeterea, & recipitis ritus, & mores Catholicae, & Romanae Ecclesiae in his sacramentis peragendis, & administrandis? Respond.

Probamus & recipimus.

Amplectimini praeterea, & recipitis omnia, & singula, quae de originali peccato, & de iustificatione à sacro Concilio Tridentino diffinita, & declarata sunt? Respond.

Amplectimur, & recipimus.

Cõfitemini praeterea in liturgia, & missa

& missa offerri Deo verũ, propriũ, & propitiatoriũ sacrificium pro viuis & defunctis, in almoque Eucharistiæ sacramento, & verè, & re, & substantia corpus, & sanguinẽ Christi seruatoris vnà cũ diuinitate sub integumento sensibiliũ specierum contineri? atque totam panis substãtiam in corpus, vini verò substantiam in sanguinẽ cedere? quam conuersionẽ Catholica Ecclesia vocat transsubstantiationem? Respond.

Ita credimus, & confitemur.

Cõfitemini etiã sub quauis specie, & singulis cuiusuis speciei partibus recipi totũ, & integrum Christum; verumq; sacramentum? Respond.

Ita credimus, & confitemur.

TENE-

TENETIS præterea constanter esse purgatorium, vbi animæ dent pœnas temporarias, & à sordibus peccatorum expurgetur, iuuenturq; precibus, & suffragijs fidelium? Respond.

Tenemus constanter.

Confitemini præterea diuos, qui vnà cum Christo in cœlo regnãt esse colendos, & inuocandos, eosque fundere preces ad Deum pro nobis, ipsorumque corpora, & reliquias in magno cultu & veneratione esse habenda? Respond.

Ita credimus & confitemur.

Affirmatis præterea constanter imagines Christi maximi, eiusque matris Virginis Mariæ, & reliquorum omnium sanctorũ magni esse æstiman-

æstimandas? & cuiq; earum legitimum honorem, & cultum esse deferendum? Respond.

Affirmamus constanter.

Affirmatis præterea potestatem indulgentiarum à Christo domino ecclesiæ fuisse traditam? ipsarumq; germanum vsum esse vtilissimum, & maximè salutarem Christiano populo? Respon.

Affirmamus.

Recipitis præterea & amplectimini ritus, & traditiones Apostolicas, & Ecclesiasticas, reliquasq; obseruationes & cōstitutiones sanctæ Romanæ Ecclesiæ? Respond.

Recipimus, & amplectimur.

Recipitis præterea sacram scripturam eo intellectu, in quem vnani-

mes patres consensere? & eo sensu, quem semper habuit, habetq; alma mater Ecclesia, ad quā pertinet de vero sensu, & interpretatione sanctarum scripturarū ferre iudicium? Respond.

Recipimus.

Confitemini præterea sanctā Catholicam & Apostolicam Ecclesiā esse parentem & magistrā cūctarū Ecclesiarum? & spōdetis Romano Pōtifici, successoriq; Christi vicario verum obsequium & obedientiam? Respond.

Confitemur atq; promittimus.

Recipitis præterea quæcūq; sunt diffinita per sacros Canones & Concilia generalia legitimè peracta, & specialiter omnia, quæ in Tridenti-

nõ Concilio proximis annis cele-
brato ſunt decreta, diffinita, & de-
clarata? Damnatis etiam, & ana-
thematizatis omnia contraria, hæ-
reſeſque damnatas per Eccleſiam,
& priuatim cuncta quæ ſunt dam-
nata, & anathematizata in ipſa Tri-
dentina Synodo? Reſpond.
*Recipimus, & contrarium, atque om-
nes hæreſes anathematizamus & dete-
ſtamur.*

EADEM forma ſeruata Epi-
ſcopus Placentinus ab ipſo Archi-
epiſcopo Compoſtellano fidei pro-
feſsionem, & Concilij Tridẽtini re-
ceptionem ſuſcepit.

CALEND. Nouẽb. quo die
ab Eccleſia omniũ ſanctorum
ſub vna ſolẽnitatis lętitia feſtiuitas

celebratur, cùm in Cathedralē conuenissent Illustrissimus Archiepiscopus, admodum Illustris Comes Mōtacutanus, cæteriq; Reuerēdissimi prælati, habuissetq; pijssimā ac facūdissimā concionē Ioannes Ribera Episcopus Pacensis, procuratores Ecclesiarū scilicet, Zamorensis, Pacensis, Ouetēsis, Astoricēsis, Cauriensis, Placentinus, Myndoniēsis, Ciuitatensis, Lucensis, atq; Tudensis post missam celebratam virtute mandatorū, quæ à suis illis data fuerant Ecclesijs, suo, Ecclesiarū que suarū nomine sanctū Conciliū Tridentinum receperunt, fideque Catholicā protestati sunt: quod cū aliarum Ecclesiarum procuratores eo die, quo prima huius Concilij

actio celebrata eſt, feciſſent, ij quod ad eã rẽ ſuarũ Eccleſiarũ ſpeciale mandatũ non habebãt, facere hactenus nõ potuerũt. Cæterũ res ipſa hoc ordine peracta eſt. Archiepiſcopus ſingulos eorũ corãſe ſtantes interrogabat. Accipitis, quæcũq; à ſacris Canonibus, Cõcilijſq; vniuerſalibus atque ſpecialiter à ſacro Concilio Tridẽtino cõſtituta ſunt, vt in ipſis ſunt diffinita, & declarata? Dãnatis, atq; anathematizatis omnia illis contraria, atq; omnes hæreſes ab Eccleſia dãnatas, eas maximè, quas prędictũ Tridentinũ Cõcilium anathematizauit? Cui à ſingulis reſponſum eſt. Recipimus, & contrarium ac omnes hęreſes anathematizamus, & deteſtamur.

OCTAVO Calend. April. hoc eſt in feſto Annũciationis Virginis matris Dei, anni milleſimi quingenteſimi ſexageſimi ſexti omnibus, quibus ad ſecundam actionem habendam opus erat, præparatis iam, Archiepiſcopus, Comeſque Montacutanus, atque Epiſcopi pluuialibus, mitris, & crucibus pectoralibus induti, Salmanticenſis verò, qui ſacra illo die peracturus erat, Pontificijs veſtibus ornatus, proceſſionem, quæ per clauſtrum Cathedralis Eccleſiæ ſolenniſsimè ducta fuit, ſunt proſecuti: ac tãdẽ peracto miſſæ ſacrificio, ſolitiſque in huiuſmodi ſolennitate cæremonijs adhibitis, Epiſcopus Salmanticenſis locum illum conſcendens, ex quo ad

patres, & populum concio habita fuerat ab Aachiepiſcopo, infraſcripta legit Decreta: quibus perlectis, atque à prælatis per Secretarium reſponſo accepto, quod placerent illis decreta, fuit celebrata ſecunda actio.

ACTIO SECVNDA, IN CONCILIO

Prouinciali Compostellano sub Gaspare Archiepiscopo Salmanticæ, & in eiusdem vrbis templo Cathedralis Ecclesiæ celebrata feria secunda octauo Calend. Aprilis, anno à Christo nato millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, indictione nona, ac Sanctiss. & Domini nostri Papæ PII Quinti Pontificatus anno primo, ac Catholici, & inuictissimi Regis nostri PHILIPPI secundi regni anno decimo.

Gaspar de çuñiga & Auellaneda miseratione diuiua Archiepiscopus Compostellanus Metropolitanus, & Episcopi Cõprouinciales & coadiuncti statuimus hæc decreta.

PRÆFATIO.

MAXIMIS reipub. Christianæ periculis opportunissimum,

nium, & præsentaneum remedium œcumenica, & generalia Concilia fuêre semper, ad corrigendos verò excessus, tollendosq; vniuscuiusq; prouinciæ abusus, Prouincialia Concilia, quorũ præcipuus finis ac scopus plerumq; fuit, vt ea, quæ in vniuersalibus Concilijs decreta fuerunt, plenè obseruarentur, quæq; disponenda & diffinienda Prouincialibus Concilijs commissa fuissent diffinirentur, nec non eorum, quæ ad cultũ diuinum spectant, dilucidatio, ac directio, ministrorumq; Ecclesiasticorum cuiusque prouinciæ sancta, & salubris reformatio iuxta sacrorum Canonum sanctiones. Nos igitur sanctorum patrum vestigijs inhærẽtes, & nobis commissa maxima cum diligẽtia adimplere cupientes, in Prouinciale Cõpostellanæ prouinciæ Concilium conuenimus, nihil prouinciæ salutarius esse existimantes,

mantes, quod quidem non desiderio tantū, & verbis, sed opere, & veritate abundè efficiemus, & demonstrabimus si quæ dicta sunt, pro ratione temporis ad debitum, & optatum perduxerimus. Hæc autē vt à nobis rectiùs, & vt expedit, fiant, non nostræ prudentiæ, sapientiæ ve, aut merito innitendum esse existimamus, sed in domino Deo nostro, qui omnia scit, & potest, cuius ministri non idonei sumus; spem, expectationemq́ nostram collocamus, simulq́ue cōfidimus quòd Dominus noster Iesus Christus nobis aderit, paracletusq́ Spiritus sanctus suam lucē cordibus nostris infundet, & nos ipsos regent, ac dirigent, præstabūt que omnia necessaria, quibus hoc Conciliū congruum initium, prosperum successum, & fœlicem exitum habeat in Christo Iesu domino nostro, qui cum patre, & eodem Spiritu

Spiritu sancto viuit, & regnat in secula seculorum. Amen.

DECRETVM
PRIMVM.

EXAMEN illud, quod de promouẽdorũ ad Cathedrales Ecclesias qualitatibus ac moribus iuxta sacri Concilij Tridentini decreta fieri oportet, nõ solùm eorum testimonio, quos electus, vel designatus obtulerit, faciendum est, sed aliorum etiam qui ab eo fuerint ex officio vocati, cui secundum præfati Concilij formã ea cura committitur. Quod verò ad gradus

gradus attinet, optatur fore necessariũ, vt in aliqua ex horũ regnorũ probatis Academijs, vel in alijs externis, quę ab eis approbatę sunt, requisitos gradus ratione studiorum, ac literarũ legitimè fuerint adepti.

Decretum Secundum.

TESTES, siue, qui electi nomine oblati, siue, qui ex officio rogati fuerint, non alij, quã legitimi, atque fide digni admittãtur. Hi primùm generalibus interrogationibus examinãdi sunt. Deinde an promouẽdus tricesimũ annum expleuerit. An sacris initiatus sit. Quonã tẽpore sacros ordines receperit. Nũ ex legitimo matrimonio fuerit ortus. An ipse, vel parentes, aut aui aliqua infamiæ nota fuerint infecti,

ratione cuius iuxta canonicas san-
ctiones promoueri non posſit. An
honeſtis moribus ſit prǽditus, &
ea fuerit anteactæ vitæ integritas
quæ illum futuræ dignitati idoneũ,
& cõmendabilem reddat. An gra-
dus Doctoratus, aut Magiſterij, ſiue
Licentię in Theologia, vel iure Ca
nonico ab aliqua Academia fuerit
adeptus, quæ nã illa, & an inter pro-
batas huius regni cẽſeatur, & an ra-
tione literarum eum gradũ fuerit aſ
ſecutus. Quòd ſi gradus nondũ ac-
ceperit, an ab aliqua prædictarum
Academiarũ ſufficiẽs habeat teſti
moniũ, quo ad alios erudiẽdos ido-
neus iudicetur. Si religioſus fuerit,
an habeat ſuorũ ſuperiorum appro
bationẽ, quam generale Concilium
Triden

Tridentinum expreſsit.

Decretum Tertium.

CVM de adhibenda ſolicitudine circa promouendos ad parochiales Eccleſias multa in ſacro Concilio Tridentino ſtatuta ſint, quædam adhuc explicanda Concilijs Prouincialibus ſunt commiſſa. Id vt cõuenientiùs executioni mandetur, præſenti Decreto pręcipitur, vt quandocunq; & quomodocũq; parochialis Eccleſia vacauerit, etiã ſi iuris patronatus eccleſiaſtici exiſtat (dummodo circa præſentationem, & inſtitutionem eius, quæ à ſacro Concilio Tridentino ſtatuta ſunt, obſeruentur) Epiſcopi intra quindecim dies ab eo tempore numerãdos ex quo nouerint Eccleſiã

esse vacantē,per publicū & necessariū edictū conuocent omnes,quotquot examinari voluerint, id verò in valuis Cathedralis Ecclesiæ, similiter illius, ad quā pertinet beneficiū,& vbi aliàs Episcopo visum fuerit,per viginti dies vt minimū præfigatur sub censuris, & pœnis contra eos,qui tale edictum, vel tollere vel delere ausi fuerint. Eo etiā tempore si qui ab Episcopo nominati fuerint & antequam examē eorū,qui priùs comparuerūt,sit absolutum, venerint,ad subeundum examen admittantur. Quòd si fuerit iuris patronatus laicorum, illa solùm edicta proponantur, quæ de iure, vel consuetudine decerni possunt ad cómonendos patronos vt legitimo

tempore

tempore examinandos nominent. Examinis autem modus sic Episcopis cõmittitur, vt vnũquẽq; examinandorum in ea, in qua versatus est, facultate, publicè, & eadẽ serua ta forma examinari pręcipiãt ab examinatoribus iuxta sacri Cõcilij Tridentini decreta constitutis, quibus munus suũ ex eiusdem Cõcilij sententia fideliter exequentibus, æquã laboris mercedem prælati suæ rectę cõscientiæ arbitrio iubeant persolui: quæ omnia expensis beneficij vacantis fieri debẽt, atque eadẽ, & singula seruentur in ijs etiã beneficijs curatis, quorũ institutio aut collatio, iure deuoluto ad Episcopos pertineat. Quæcunque aduersus supra dicta deinceps facta prouisio fuerit,

nulla

nulla, irrita, & inanis sit.

Decretum Quartum.

CVRENT Episcopi vnusquisque in sua diœcesi iuxta formã & regulas à sacrosancta Synodo Tridẽtina propositas, vt quã citius fieri poterit, puerorum collegia, & seminaria erigantur, erecta augescant, & aucta in optimum finem perducantur.

Decretum Quintum.

SANTARVM imaginum legitimum vsum sic Episcopi obseruari præcipiant, vt ea, quæ in sacro Tridentino Concilio piè, & sanctè pręcepta sunt, custodiatur. Quare is tantũ velaminum, ac vestium ornatus imaginibus apponatur, qui ab Episcopo vel eius Vicario visus,

& approbatus fuerit.

Decretum Sextum.

SAnctorũ reliquias & fidelibus honorandas, atq; venerãdas esse, & antiqua traditione, & sacri Tridentini Concilij, & aliorum sacrorum Conciliorũ decretis facilè constat, sed ne sub religionis specie superstitio militare videatur, curent locorũ Episcopi, vt illę reliquię, quę populo venerandæ fuerint expositæ, quàm diligenter examinentur, siue, quæ honoris, aut deuotionis causa collo appensæ gestari solent, & quæ veræ inuentæ fuerint, honestè collocentur, quæ verò nullo testimonio constiterint, remoueantur. In chartulis, quas vulgus, nominas vocant, inutilia multa & vana sæpè

nominas

reperiuntur. Prouideant ergo, vt intra certum tempus edicto publico præfigendum omnes, qui huiuſmodi chartulas habuerint; deputatis perſonis eas exhibeãt, vt friuola reijciantur, digna ſeruẽtur, ad quorum executionem, opportuna iuris remedia, ſi opus fuerit, ab eiſdem Epiſcopis adhibeantur.

Decretum Septimum.

QVOD altaris miniſterió, aut diuinis officijs congruit, graue iudicandum eſt. Quapropter omnia, & ſingula ſecundum ordinem ita ſunt diſponenda, vt Deo noſtro ſit iucunda decoraque laudatio. Cumque iuxta noſtri muneris ſolicitudinem, à generali Concilio nunc denuò iniunctum ſit, vt,

quę circa diuina officia, aut circa mi nistrorũ assistentiam emendãda videtur; sedulò corrigantur, hæc circa eiusmodi statuere visum est, quę tam in Cathedralibus, quàm Collegiatis, atq; alijs Ecclesijs firmiter obseruentur. Et quoniam ex capitularium frequentia congregationũ diuina officia, vel impediri, aut destitui solet, deinceps semel tantùm in hebdomada huiusmodi congregatio habeatur die veneris, sic tamẽ, vt propter festum incidens, aut præueniri possit, aut differri. Extraordinariæ verò congregationes non fiant tempore, quo vel missa, vel consueta officia in choro celebrantur: qui verò talibus interfuerint; stipendio illis horis, quæ interim dicuntur assigna-

ſignato, tenore huius decreti, priuati ſint.

Decretum Octauum.

IN omnibus eccleſijs Cathedralibus, Collegiatis, & parochialibus Sanctiſsimum Christi corpus in medio maximi altaris ſub decenti, ac fideli cuſtodia ſeruetur, & octauo quoq; die conſecratæ hoſtiæ renouetur. In cathedralibus verò Eccleſijs, quibus animarũ cura incumbit, etiã in alia capella prælati iudicio deſignãda collocetur, ꝙ ſi hucuſque deſtinata erat, ibidẽ remaneat.

Decretum Nonum.

CVM feſtiuitates omnes quibus noſtræ reparationis beneficia recoluntur, profuſis gaudijs à Christiano populo ſint excipiendæ,

præcipuè tamen in die Natalis Dñi, & in solennitate sacratißimi corporis Christi signa spiritualis lætitiæ sunt præferenda. Conuenit itaq; deuotioni fidelium in vtraque solenni tatę externis exultare obsequijs, & etiam internis in spiritu, & veritate, & non solùm inani exultatione diffundi. Missarum proinde solennia aliaq; diuina officia grauiter ac deuote peragantur, nulli actus siue repræsentatiões nec tripudia, aut choreæ in Ecclesia fieri permittantur, dũ sacra peragũtur (quæ perturbari, aut interpellari nefas est) sed aut ante, aut post illud tẽpus, secũdum quod Episcopo loci, aut eius Vicario visum fuerit: nulli etiã actus, siue sacræ historiæ, aut prophanæ in his,

aut alijs solẽnitatibus admittantur, nisi mense vno antequàm agantur ab Episcopo, vel eius Vicario lecti fuerint, gratisque approbati.

Decretum Decimum.

IN solẽnitate corporis Christi admoneãtur fideles, vt interiori deuotione, & exteriori apparatu, & cultu, quantum in domino potuerint, tam immensi beneficij memoriam festiuè recolãt, neque aliquid eorũ fieri prohibeatur, quòd ad huius sacramẽti venerationem attinere poßit, siue in luminaribus, aut musicis instrumẽtis, siue in viarum ornatu. In solenni autem proceßione illius diei, ad quam omnes cuiuscũq; sint gradus conuenire debet, per loci Episcopum prouideatur, vt

ordinatè, & ſine tumultu omnia fiant, & ſemel tãtum proceſsio ſubſiſtat cauſa horũ actuum vel repræſentationum in eo loco extra Eccleſiam, quem prælatus, aut eius vicarius idoneum iudicabit. Prælatos verò ipſos, clerum etiam, & populum curare decet, ratione primũ habita ſilentij, ac modulationis diuinorum officiorum ne ſolemnia hæc tollantur, ſed ita fiant, vt nemini ſcandalum detur.

Decretum Vndecimum.

CVM Hebdomadæ ſanctæ tẽpore Dominicæ Paſsionis memoriam Eccleſia recolat, & vnigeniti mortem lugeat, nulli actus, aut repræſentationes illis diebus permittantur, niſi talia ſint, quæ agũtur, vt deuo-

deuotionem potiùs, quàm tumultum excitare possint, quod arbitrio Episcopi, aut illius, cui ipse cõmiserit, examinãdum est. Quia verò ex hoc ꝙ conciones de passione Domini nocturno tempore luminaribus extinctis haberi solẽt, aliqua inconuenientia deprehẽsum est euenire, curent Episcopi & eorum vicarij, vt in omnibus Ecclesijs, & monasterijs suæ diœcesis huiusmodi, & quicũq; alij sermones orta iam luce prædicẽtur, nec tamẽ aut vigiliæ, aut Ecclesiarũ visitationes, quæ per totam illã noctem Christiano populo sunt in vsu per hoc interdicãtur.

Decretum. 12.

IN processione confratrum veræ crucis, seu se verberantium ab

Episcopis reijciantur abusus, siqui forsitan obrepserint. Nullo autem modo permittendum est, vt mulieres viris permixtæ, nec separatæ publicas illas disciplinas per vias suscipiant, ne quod nomine pœnitentiæ fit, occasionē præbeat delinquēdi. Si quę verò de cętero, vt aut vota soluant, vel iniunctam pœnitentiam, aut motu etiam animi voluntario verberibus, vel aliquo supplicio castigare corpus velint, & in seruitutē redigere, domi, & secretò huic proposito piè, & castè satisfaciant.

Decretum, 13.

IN CÆREMONIIS, quæ in cultu diuino fiunt, ea debet puritas inueniri, vt fidei, quam profitemur, & internæ deuotionis in-

dicia præferant. Superstitionibus autem, non solùm manifestis, sed etiam eis, quæ religioni propinquæ sunt, his maximè temporibus resistere grauiter Episcopos decet, iuxta Apostoli sententiam, qui non à malo solùm, sed ab omni specie mali præcipit abstinere. Quare nihil perniciosum, nihil prophanũ, vel indecorum sacris officijs est admiscẽdum, sed attenta pastorum diligẽtia, ab omni supestitionis specie, sunt penitus expurganda, & illa tãtùm admittenda, quæ pietatem & memoriam debitam redolent, & morum correctioni vtilia esse possent. Obseruationes verò illæ, quibus populi attẽtio à diuinis officijs auocatur, si tamen alias aliquid eru-

ditionis habeant tempore, quo diuina peraguntur, non fiant, sed in aliud commodius Episcopi arbitrio eligendum transferantur, vt secundum quod Apostolus præcipit, in Ecclesijs Christi omnia secundum ordinem fiant.

Decretum. 14.

IGNORANTIA eorum, quæ vnusquisq; pro sui muneris ratione facere tenetur, sæpenumero negligendi, aut deficiendi solet esse occasio. Vt igitur omnibus, qui Ecclesiastica beneficia obtinēt, officia, quibus deputantur, facilè innotescant; quilibet prælatus in sua Ecclesia cum consilio duorū capitulariū quorum alter ab ipso prælato, alter à capitulo sit electus, anti-

quas illius Ecclesię cõstitutiones, & debitas cõsuetudines circa officia altaris, & chori dignitatũ, & aliorũ personatuũ, aut aliarũ præbendarũ, & eas obtinẽtiũ, diligẽter exquirat, atque accuratè ordinet, ac disponat ea quę à singulis agẽda sunt, additis ijs, quæ à sancto Cõcilio Tridẽtino nũc denuò sunt constituta, eaq; omnia per ordinẽ digesta in tabula describi faciat, quam in choro appendi iubeat, vt omnibus sui officij norma sit manifesta. Quod ne frustra factũ videatur, solicitè curabunt Episcopi, adiectis pœnis, vt omnia, & singula executioni mandentur.

Decretum. 15.

CIRCA diuina officia propter cæremoniarum ignorantias

tias multi defectus committi solét.
Vt igitur rectè, & piè omnia peragantur, statuitur, vt in omnibus cathedralibus Ecclesijs aliquis de numero eorũ, qui in tali Ecclesia præbendam obtinuerit, suffragijs secretis Decani, & capituli in magistrum ceremoniarum eligatur, ita quòd dicto officio toto vitæ suæ tẽpore absque rationabili causa prælati iudicio approbanda nequeat priuari. Et priusquã persona ad id exequendum idonea designetur, per prælatum de capituli consilio sufficiens stipendiũ vltra propriæ præbendæ fructus præscribatur, quod ex Episcopali, & capitulari mensa, & ex fabricæ prouentibus secundum æquas portiones desumendum est.

Diligen-

Diligenter verò attẽdant capitula, vt virũ idoneum, & his qualitatibus præditũ ſemper deligãt, qui tali officio maximè conueniat. Adhæc vt prędictus magiſter cæremoniarum apertiùs intelligat, quid eum facere oporteat, & quid alijs ſuggerere debeat, tam circa diuina officia quàm circa quæcũq; alia, det operam prælatus cũ cõſilio capituli, vt in libello cæremoniali omnia diſtinctè ac diligenter cõſcribantur, & ſecundum formam ibidẽ expreſſam deinceps omnia ſtudioſè perficiantur.

Decretum. 16.

QVONIAM verò circa tempus, quo ad diuina officia ingredi oportet, in eccleſijs huius prouinciæ variæ conſuetudines inueniuntur,

niuntur, vt omnibus tam Cathedralibus, quã Collegiatis vna eadẽque sit consuetudo, statuitur, vt dignitates, officia personatus, & canonici, & qui portiones integras, & dimidias possidẽt, quo in missa presentes habeantur, vltimo Kyrie, teneãtur adesse. In diurnis autẽ horis maioris officij ad versum, Gloria Patri primi Psalmi. In matutinis ad Gloria Patri inuitatorij. At curati, & capellani, aut alij clerici, qui ministerio Chori deputati sunt, in missa teneantur adesse aduersum introitus. In matutinis Vesperis & Cõpletorio, ad primum Gloria Patri post, Deus in adiutorium. In alijs horis ad vltimum versum hymni: Hebdomadarius autem in principio cuiuslibet

iuſlibet officij, & horarum adeſſe teneatur. Poſtquã verò ſemel ingreſsi fuerint, exire nõ poſsint, vſq; ad benedictionem ſacerdotis in miſſa, & in alijs horis vſq; ad Benedicamus Domino, niſi de licentia præſidẽtis, quæ ſolùm cauſa celebrãdi, aut pro corporali neceſsitate cõcedatur. Si ſecus factum fuerit, illius horæ ſtipendio ſint priuati. Circa minoris officij horas, & proceſsiones particularium Eccleſiarum, ſtatuta ab Epiſcopis cõfirmata obſeruentur.

Decretum. 17.

IN matutinis Natalis Domini, & trium dierum ante ſanctum paſca, & in proceſsionibus Dominicę in Ramis Palmarũ, & Litaniarum maiorum, & minorum, & ſanctiſ-

simi corporis Christi quicunq; prouentus manuali distributione conferatur, nec alijs, quàm actu præsentibus assignari possint, omni excusatione etiam infirmitatis sublata.

Decretum, 18.

IN dio Sabbati cuiuscunq; hebdomadæ cantor, siue alius, ad cuius munus pertinet, omnia officia quæ sequēti hebdomada sunt peragēda; expressis nominibus eorum quibus iniuncta fuerint, in tabula describi faciat, eaq; in choro publicè legantur. Ijs verò, quibus aliquid horum commissum fuerit præcipitur, vt omni excusatione remota id sedulò per se ipsos exequantur, nec aliū sibi substituere liceat; nisi causa infir-

sa infirmitatis, & tunc statuta circa infirmos seruentur. Quod si secus fiat, illius hebdomadæ distributiones amittant, & si creuerit inobedientia, seueriùs à prælato puniantur. Postquam verò ad aliquod officium designatus fuerit quispiam, intra eam hebdomadam causa recreationis discedere non possit, aut ab officijs abesse.

Decretum. 19.

De ambulationes, quæ in tẽplis fiũt, sæcularibus ipsis nedum ecclesiasticis sunt prohibitę. Quocirca districtiùs inhibetur, ne tempore quo diuina peraguntur, dignitates vel canonici, siue quicunq; alij beneficiati, aut illius ecclesiæ clerici in ecclesia vel claustro, siue capellis de-

ambulent, aut maneant, etsi aliàs choro assistere nō teneantur. Si cōtra fecerint, omniū horarum illius diei distributiones amittant.

Decretum. 20.

NON oportet, vt qui diuinis laudibus intersunt, alijs canētibus sileant. Omnes igitur beneficiati, cuiuscunq; gradus, aut dignitatis sint, quibus pro officio in choro aliqui prouētus assignātur, in missa alijsq; diuinis officijs corde & voce Deum laudare studeant. Quod vt cōmodius fieri posit, curēt Episcopi, vt ante singulorū sedes præter cōmunes libros qui in facistorio (vt vocant) sunt expositi, breuiaria siue psalteria fabricæ sumptibus collocētur, libri quoq; processionales omnibus

bus exhibeantur. Quòd si aliqui fuerint negligentes, à præside admoneantur, vt canant, & si non acquieuerint, stipendio illius horæ mulctẽtur, & crescente inobedientia, debitis pœnis, & censuris ab Episcopo puniantur. Et vt hæc cõuenientiùs, & attentiùs fiãt, nullo modo aut recitent, aut in aliquo libro legant, dũ officia celebrantur. Deinceps verò ne cantus ignorantiam aliquis prætexere possit, præsenti decreto præcipitur, vt postquam alicuius præbendæ in Ecclesijs Cathedralibus, aut Collegiatis possessionem obtinuerit, circa Ecclesiasticum cãtũm ab Episcopo examinetur, & si fuerit imperitus præcipiatur ei, vt intra sex menses addiscere teneatur sub

 pœna

pœna decem aureorum fabricæ applicãdorum. Quòd si negligens fuerit, pœna viginti aureorum fabricæ etiam applicãdorum admoneatur, vt intra alios sex menses addiscat. Quòd si adhuc negligens fuerit, grauioribus pœnis aduersus eum procedat Episcopus donec sufficienter instructus sit. Propter quod in ordinationibus clericorum in cantu diligenter promouendi examinentur; & quousque didicerint, non admittantur.

Decretum. 21.

VT inter agendum sacra officia purior sit vox laudis, nec inutiles confabulationes adstantium attentionem abducãt, solicitè in choro silen-

ro silentium obseruetur, & siquis à præsidente admonitus silere cótem pserit, illius horæ stipẽdio sit priuatus. Quod si adhuc perstiterit, grauior ei mulcta imponatur, quã nec ipse præsidens nec capitulum remittere posit. At, ne sæcularium frequentia clericorum quietem impediat, nullus sæcularis tempore diuinorũ officiorum choro intersit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, exceptis ijs, quibus eam facultatem prælatus cócedendam iudicauerit.

Decretum. 22.

QVicunq; beneficiatus Cathedralis Ecclesiæ, aut collegiatæ sacris cócionibus nó interfuerit, nec missæ nec processionis distributiones

nes illo die aſsignatas obtineat, nec illi, qui ad gerenda in communi negocia deputantur, à diuinis officijs exempti iudicentur.

Decretum. 23.

IN miſsis, quæ maiores appellantur, Gloria in excelſis Deo, Credo, ſi dicenda ſunt, Præfatio, Paternoſter ſemper in cantu dicantur, Sãctus verò, & Agnus, à choro, & organis alternè dici poterunt, nec aliter fieri permittatur, quacunque etiam cauſa ſuperuenienti, & omnia diuina officia tam quæ pertinẽt ad miſſas, quàm ad alias horas in cãtu dicãtur in Cathedralibus & Collegiatis Eccleſijs, niſi tempore interdicti, & tunc in altari maximo, & choro clauſis ianuis, & ſubmiſſa voce

ce iuxta canonicas ſanctiones celebrentur.

Decretum. 24.

IN maioribus ſolénitatibus, prælatus cum toto capitulo tempore offertorij in miſſa maiori à choro vſque ad altare ad offerendum procedat. Euntes verò, atque redeuntes, & ſua loca & debitum ordinem ſeruent.

Decretum. 25.

FERIA quinta in cœna Domini omnes dignitates & canonici, & quicunq; beneficiati, & Eccleſię miniſtri, etiam ſacerdotes, in maiori miſſa ſacrum Chriſti corpus de manu celebrantis ſuſcipiant, nec ſuper hoc cum aliquo vlla ratione diſpenſetur. Si quis verò contra fe-

cerit, omnes illius hebdomadæ distributiones amittat.

Decretum. 26.

QVotiescũque beneficiati, & ministri Cathedralis & collegiatæ Ecclesiæ cum processione fuerint progressi, eadem solẽnitate seruata ad Ecclesiam vnde exierant reuertantur, nisi Episcopus aliud viderit expedire.

Decretum. 27.

QVI præsentiũ in choro rationes fuerit habiturus coram prælato, aut eius vicario, ante omnia iuret; ꝙ fideliter exequetur id officiũ, & ꝙ libellum rationum solicitè custodiet, nec alicui ostendet, aut capitulo exhibebit antequam rationes reddat: quibus redditis & signatis, in

tis, in Ecclesiæ Archiuũ inferatur, & si aliquãdo abesse contigerit, præfatũ libellũ substituto nullo modo cómittat, sed tális substitutus in alio libello rationes describat, præstito priùs iuraméto supradicto modo, & cũ primũ absens fuerit reuersus, illi reddãtur ratiões in absentia descriptæ, vt in suũ libellũ trãsferãtur. Nemo auté ad prædictũ munus assumi posit, nisi clericus, nec postquã fuerit assumptus, absque legitima causa remoueri posit.

Decretum. 28.

QVONIAM indecorũ est, vt maiores ordinę minoribus subijciantur, nullus in choro, vbi sacerdotes fuerint, præsidere posit, nisi fuerit sacerdotio consecratus, ni

De-

Decretum. 29.

HÆC autem omnia ad diuinum altaris, & chori cultum pertinentia, ita constituta esse intelligantur, vt si alicubi aliqua ex his fuerint disposita sub grauioribus pœnis, per hæc seueriori disciplinæ nulla ex parte detractum sit.

Decretum. 30.

SACRIS ordinibus initiatos tales se cóuenit exhibere, vt inania oblectamenta, & spectacula voluptuosa ipsi despiciant. Quo fit, vt merito presbyterorum quorundã, diaconorũm, & subdiaconorum repressa sacris canonibus intemperantia sit, qui non solùm Theatrales ludos in Ecclesijs introducũt, verùm in aliquibus festiuitatibus suæ etiá

insaniæ

insaniæ ludibria exercere præsumunt. Nulli igitur prædictorum liceat, mimũ, ioculatore, aut histrionẽ agere, siue res profana agatur, siue spiritualis. Quòd siquis contra fecerit, ab Episcopo debitis pœnis Ecclesijs applicãdis ita puniatur, vt decretũ hoc piè inuiolatèq; seruetur.

Decretum. 31.

QVONIAM pastoralis sollicitudinis est, sedulò attendere vt pascua bona, & purissimę aquę commissis ouibus proponãtur, ne in furtiuis aquis, vel in abscondito pane, qui suauior videri solet, aut mortiferum, aut noxium delitescat, hoc potissimũ tempore remedium aliquod apponendũ fuit, quo mille nocẽdi artes impietas adinuẽnit.

nit. Nemini proinde cuiuscunq; ordinis, religionis, dignitatis, & conditionis sit liceat deinceps libellos, tractatus, colloquia, aut viuẽdi formulas manu scriptas, si moralia, aut spiritualia documenta contineant, alicui legenda tradere, vel ab alijs accepta legere, aut retinere absq; proprij Episcopi, vel eius, cui ipse commiserit, approbatione, ac licentia in scriptis obtenta. Curent verò Episcopi, vt horum opusculorum examen quàm citissimè fiat, & licentia gratis cõferatur solius Episcopi, vel ab eo deputati subscriptione. Cauendum tamen est, ne dum noxia subtrahere intendunt, illa, quæ ad pios affectus excitandos, & ad vitam instituendam vtilia esse possunt, pariter

ter auferant. Siquis verò contra decreti huius formam fecerit, in eum Episcopus pro transgreſsionis menſura iudicium det.

Decretum. 32.

PVRIS fidelium auribus adeò inuiſum eſſe debet hæreticorũ nomen, qui aduerſus fidei veritatẽ perfidas linguas exacuerũt, vt ſi fieri poſsit, nũquã eorum memores ſimus per labia noſtra. Ea igitur cura diuini verbi predicatoribus eſſe debet, vt fidei dogmata Chriſtiano populo neceſſaria luculẽter proponãt ſtudioſè confirment ſcripturarum teſtimonijs, patrum ſententijs, & rationibus pro vulgi captu interim adductis. Hæreticorum verò ſectas vel argumenta quæ pro illis fiunt, nulla

nulla ratione in populari frequẽtia referantur, cùm hæc in audientium subuersionem, potiùs quàm ædificationem vergere compertum sit, nec illorum execranda nomina cõmemorentur. In literarijs quoq; disputationibus nullæ assertiones erroneæ, aut periculosæ, vel hæresim redolentes etiam disputationis aut exercitij gratia aliquatenus interserantur, sed quæ iuxta morẽ cuiuscũq; vniuersitatis fuerint priùs approbatæ. In ijs verò disputationibus, quæ in præsentia imperitæ multitudinis haberi solent, argumenta aduersus fidei assertiones vulgari sermone non admittantur, nec præsidens his argumentis etiã Latino sermone propositis responderi sinat, ante

ante quàm publicè protestetur arguens, ſe catholicã veritatem agnoſcere, &, vt clarior certiorque fiat argumenta cõtuliſſe. Diligẽter quoq; obſeruandum eſt, vt ab ijs diſputationibus, quibus fidei aſſertio examinanda eſt, non antea diſcedatur, quàm argumenta pro hæreticorum parte adducta plenè à præſide, vel ab aſsidentibus magiſtris, & doctoribus diſſoluantur, & quid ab omnibus tenendum ſit, dilucidè fuerit propoſitum: & qui in his deliquiſſe inuenti fuerint, ſuorum iudicum debitæ animaduerſioni ſubiaceant. Quòd ſi illi neglexerint, per Epiſcopum, vel eius vicarium de opportuno remedio prouideatur. Si qua verò in vniuerſitate, aut alibi, alijs etiã

remedijs huic morbo præcautū & prouisum sit, omnia simul (si sit necesse) adhibeantur.

Decretum. 33.

PLurimùm interest, quibus libris tenera puerorum ætas instituatur. Quare singulis puerorum magistris, & alijs, qui hoc munus habuerint, vulgarium librorū index, quibus pueri erudiendi sunt, ab Episcopo, vel ab alijs quos ipse delegerit, exhibeatur eorum manu subscriptus. Sunt verò ij libri teneris annis permittendi, qui pietatem sapiant, & mores componant, non qui inanibus fabulis, aut lasciuis narrationibus ætatem illam corrumpant. Porrò Christianæ doctrinæ rudimenta,

ta, nullus publicè docere permittatur, nisi examine præuio sit etiam approbatus; & in scriptis; & gratis licentiam obtineat: & ne quid horũ negligatur, Episcopi, & eorum officiales in suis visitationibus, huius decreti rationem habeant.

Decretum. 34.

VT præbendæ, quas magistrales, aut doctorales, aut lectionis sacræ scripturæ vocant, consultiùs conferantur, neq; priuatis affectibus locus sit, publico, & necessario edicto, quod intra quindecim dies à die certę vacationis computãdos necessariò affigatur, ad examen conuocẽtur, quicunq; voluerint admitti. Affigẽtur autem edicta in cathedrali ecclesia alijsq; publicis lo-

cis, & in vniuersitatibus Salmanticensi, Cóplutensi, & Vallisoletana, vt intra triginta dierum spaciũ compareant; neque prætextu cuiusque rationabilis causæ præfixum tempus augeri poterit, vel minui. Et quã uis per procuratorem alicuius absentis oppositio fuerit admissa, nullus tamen ad electionem de eo faciendam admittatur, nisi ad examẽ præscriptos actus publicè fecerit, aut morbo sontico laboret, quem sufficienti testimonio coram Episcopo, aut eius vicario comprobare teneatur. Et quò ipsis electoribus plenior sit ad digniorem eligendum libertas; nulli eorum liceat tẽpore illius vocationis munus aliquod à competitoribus, vel ab aliquo eorum nomine per-

vide act. 3 c. 32.

ne percipere, nec alicuius eorũ partes agere, aut merita apud alios commẽdare. Nulli etiã petitorum liceat munera offerre, aut literas commendaticias afferre, aut vim, metũve cuipiã electorũ inferre. Quòd si aliquis de his sufficiẽtissimis probationibus fuerit infamatus, aut notabiliter suspectus, Episcopus vel eius vicarius in absentia diligenter causæ merita inquirat, & quem reum inuenerit, pro illa vice inhabilem ad eligẽdum actiuè vel passiuè declaret, aliàs cum cæteris admittat. Quòd si tempore dicti examinis aliquis ex electoribus carceri sit addictus, omnibus actionibus competitorum & ipsi electioni liberè adesse permittatur, adhibita sufficienti custodia, ne suo iure

 ante

ante sententiam priuetur. Quòd si excommunicatus sit ab Episcopo vel eius vicario, aliave censura innodatus, à qua tamen Episcopus, vel eius vicarius absoluere possit, ad effectum tantùm audiendi oppositores, aut ferendi in tali electione suffragium, ad reincidentiam Episcopus vel eius vicarius eum absoluant.

Decretum. 35.

QVI doctorali præbenda potitur, teneatur in omnibus negotijs ad ecclesiam Cathedralem pertinentibus sentẽtiam suam verbo, aut scripto, prout requisitus fuerit, adferre, atque in eisdem patrocinari. Ad idem teneatur in caussis, quæ ad dignitatem episcopalem

lem spectant, dummodo inter capitulum & Episcopum non controuertantur, tunc enim suo capitulo adesse honestius erit. Erit etiam sui muneris, cùm ab Episcopo, vel capitulo ad id requisitus fuerit, iudicem in ea ciuitate, vbi est Cathedralis Ecclesia, commorante adire, de causis, & negotijs capituli, vel Episcopi modo supradicto verbo, aut scripto, cùm opus fuerit instruere, omni excusatione remota, quod tamen vrgenti necessitate iniungi debet, atq; hæc quidem omnia gratuitò. At, qui magistralem, hoc est prædicatori assignatam obtinuerit, tenebitur omnibus ijs diebus sermonem habere ad populũ, qui vel confirmatis ab Episcopo statutis Eccle-

siæ, vel antiqua consuetudine iam sunt præscripti, & insuper, quando ab Episcopo ob rationabilē causam occurrētem in Ecclesia Chathedrali seu in alia eiusdē ciuitatis ipsi fuerit peculiariter iniunctum.

Decretum, 36.

QVI sacræ scripturæ prælegēdæ iuxta formam Cōcilij Tridentini fuerit deputatus, teneatur omnibus pro festis diebus lectionē publicè legere loco, & tempore ab Episcopo designando. Illi vero ad legendum materiam singulis annis Episcopus assignet, quam vtiliorē auditoribus iudicauerit, dummodo sub aliquo scripturę loco versetur lectio, poterit ad morales casus, ac dubia scholastica se interim conuertere:

re. Ne tamen in vacuum laborare contingat, & vbi non est auditus in cassum sermo fundatur (quanquam ne hac quidē occasione huiusmodi lectio prætermittēda est) prouideat Episcopi, vt clerici siue ad Cathredalem Ecclesiam, siue ad alias pertineant, dictæ lectioni intersint, canonicis pœnis, & censuris adhibitis si opus esse iudicauerint; præfato etiā lectori sua mulcta arbitrio Episcopi fabricæ Ecclesiæ Cathedralis applicanda, cū officio deesse contigerit, imponatur, & ea cura visitandi quotidie lectioni assignatum locum alicui fideli timorato viro committatur, cui moderatū stipendium siue ex mulctis, siue aliūde per Episcopum assignetur.

Decretum. 37.

QVONIAM pœnitẽtiarij munus ab officio visitatoris siue prouisoris diuersum est, nullus vtrũque simul obtineat, sed si Prouisor, seu Vicarius, aut Visitator Episcopi fuerit in pœnitentiarũ assumptus, teneatur intra duos menses à die obtentæ pacificæ possessionis dicto officio renuntiare, alioquin eo tempore elapso, dicta præbenda ipso iure vacare censeatur, & inhabilis sit, vt eam rursus obtinere possit.

Decretum. 38.

AD pœnitẽtiariæ officium pertinet, omnibus ad se accendẽtibus, dubiorum, & casuum in foro conscientiæ occurrentium verbo, aut scripto, cùm rogatus fuerit, ra-

tionem reddere, & pœnitentium illius diœcesis, maximè ministrorum Cathedralis, confessiones audire, à casibus reseruatis absoluere iuxta formã, & facultatẽ, quã in his omnibus Episcopus scripto tradiderit, quam ipsi Episcopi concedere poterunt, gratis tamẽ, & facilè. Quod si facultatem dicto pœnitentiario etiam in scriptis aut quomodolibet concessam, aut stringere, aut penitus auferre ipsi Episcopo visum fuerit, absque vlla exterioris iudicij forma, aut strepitu limitare, aut penitus reuocare posſit.

Decretum. 39.

STATVITVR etiã præsenti decreto, vt quoties iuris doctor verbo tantùm super aliquo negotio senten-

sententiam dicturus fuerit, duobus integris diebus; si autem scripto, quatuor ab Ecclesia sua posit abesse; & pro præsenti, & interessenti cõputetur ad omnes horas, excepto maioris missæ sacrificio, cui tenebitur adesse, nisi fortè illo eodem tẽpore Ecclesiæ causam agere oportuerit. Prædicatori liceat, quotiescunq; sermonem habiturus est, per octo dies integros abesse, dum tamen missæ maioris sacrificio adsit. Scripturæ lector siue ante, vel post meridiem sit lectionem habiturus, omnibus horis, quę ante meridiẽ dicuntur, pro præsenti, & interessenti censeatur, dummodo missæ primę, aut maiori adsit: mẽsibusq; Iulij, Augusti, & Septẽbris legere nõ teneatur:

tur; nec in alijs nouē mēsibus feria quinta cuiuslibet hæbdomadæ, in qua festus dies non inciderit. Pœnitentiario quoq; totum id tempus liberum sit quo audiendis confessionibus fuerit impeditus, iuxta formam ei ab Episcopo præscriptam, & sic, vt à sancta synodo Tridentina constitutum est.

Decretum. 40.

NON solùm Episcopū oportet esse doctorem, sed studiorum cultorem, ac bonarum literarum parentem, vt ignorantiæ tenebræ & à Cathedralibus Ecclesijs, & ab alijs suæ dioecesis, quoad fieri poterit, procul depellãtur, repleaturque terra scientia domini, quasi aqua maris operientis. Quod vt facilius,

liùs, atq; fœliciùs obtineri posſit, deinceps Epiſcopus his, qui de capitulo erũt, cũ cõſilio capituli cęteris ſuę diœceſis clericis ſuo arbitrio licentiam ad proſequenda ſtudia conferat, ſiue in eadem ciuitate ſingulare ſtudium, vel generale ibi fuerit, ſiue in aliqua vniuerſitate ex ijs, quæ probatæ ſunt. Poterit etiam & debet aliquando, quos dociles, aut habiles adoleſcentes inuenerit, ad prædicta ſtudia compellere, cùm ei opportunum viſum fuerit. Dicta vero licentia nec ijs, qui triceſimum ætatis annum exceſſerint, nec vltra ſeptennium concedatur. Et vt temporis ibi exacti ratio habeatur, pro vno tantùm anno licentia detur, in fine eius teneantur dicti ſtudentes teſtimo-

ſtimonium Epiſcopo mittere, quo fideliter referatur, & authenticè, vt fidem faciat, ſe in tali vniuerſitate illo anno perſtitiſſe, ſtudijs vacaſſe, & libros eius facultatis, cui adſcripti ſunt, habuiſſe. Tunc pro ſequenti anno licentiam gratis obtineant, atq; ita conſequētibus annis, donec ſeptimus fuerit completus, quo peracto, ad ſuas Eccleſias reuertantur.

Decretum, 4

VT autem ſtudentibus neceſſaria ſuppetant, præcipiat Epiſcopus, vt in Cathedrali Eccleſia tā quā præſentes habeātur, quotidianis diſtributionibus exceptis. Quòd ſi præbēdarum præcipua, vel maior pars ex quotidianis diſtributionib9 obueniat, tunc prælatus iuxta iuris diſpoſi-

diſpoſitioné; certam aliquam dictæ præbendæ portionem ijs ſtudentibus aſsignare poterit, quam teneatur Capitulum fideliter, ac ſine mora reſtituere, ne propter moleſtã recipiendi fructus dilationem, à ſuis ſtudijs intempeſtiuè reuocetur. At ſi aliàs parrochiale beneficium, aut quoduis aliud obtinuerit, & neceſſario ſtudio vacare intẽderit, idoneus aliquis pro tempore ſtudij iudicio prælati approbandus quæratur, & loco eius interim ſufficiatur, aſsignata ei præbendæ portione, quam prælatus cõgruam iudicauerit, reliquos prouentus ſtudentes liberè percipiant. Cùm verò prælato conſtiterit aliquos his fauoribus abuti, vel alia rationabilis cauſa ſe obtulerit, his, qui è

qui è capitulo erunt, cum capituli consilio, alijs suo arbitrio dictas licentias reuocare, eosq; ad proprias ecclesias poterit transmittere, dum tamen studiosis, ac proficientibus sua iura integra sint.

Decretum. 42.

ILLVD præsenti decreto statutum, ac declaratum sit, super scribendi formulis, aut etiam modo decreta ipsa condendi & componẽdi, quibus in hoc concilio actiones oẽs ordinatæ sunt, nullũ præiudiciũ factum esse, aut inde futurũ Illustrissimo, ac Reuerẽdissimo Metropolitano, siue eius dignitati, vel Reuerẽdissimis Episcopis cõprouincialib9, & adiunctis, siue eorum dignitatibus: aut cuiq; eorum, qui aliter inscribẽ-

dũ vel alijs verbis, & locutionibus, aut modo decreta ipſa eſſe promulgãda putauerit, ſed omniũ & ſingulorum circa hæc iura, & prærogatiuas ſalua & incolumia eſſe, neq; præſentibus actibus infringi illa, aut derogari, vel abrogari.

Reuerendiſsimi Patres, placentnè vobis.

Reſponderunt, *Placent.*

In quorum fidem infraſcripti Secretarij Concilij ſubſcripſimus.

Petrus Velleius Gueuara Doctor.	*Antonius Alguibar Apoſtolicus Notarius & Secretarius Concilij.*

QVAE ad prælatorum officium, quæq; ad eorum ſuppellectilem, menſam, ac famulatum, tum

etiam ad eorum miniſtros, & tribunalia attinebant, nonnullaq; alia, quæ Cathedrales eccleſias, aut clerum tangebant, ea in tertiam poſtremamq; actionẽ, quo maturiori cõſilio, ac deliberatione cõſtituerentur, reiecta ſunt: de quibus cùm omnes id vnum contenderent, exemplum ſe vbiq; ſubditis præbere bonorum operum: poſt longum earum rerum tractatum hæc potiſsimùm digna viſa ſunt, quæ decerni deberent. Itaq; in dicta ab Archiepiſcopo actione ad quartum Calend. Maij, id eſt Dñicum diem, quo boni paſtoris munera Chriſti propoſito exẽplo refert eccleſia: cõſtituto tempore Archiepiſcopus, Comite, prçlatisq; omnibus, & clero, ac populo

frequentissimo illum comitātibus, ad Cathedralem venit ecclesiā, vbi acceptis ab Episcopis pluuialibus, & mitris, crucibusque pectoralibus, deducta per ecclesiæ claustrum pro cessione, vt & secunda actione fuerat effectum, missam Episcopus Astoricensis celebrauit, concionem vero ad populum Zamorensis præsul habuit luculentam, nihil prætermittens, quod ad expositionem Euangelij, vel ad propositionem decretorum ea actione promulgandorum posset pertinere. Missa autem celebrata, precibusq; eisdem, atq; eodē loco vt in secunda actione ab Illusstrissimo Archiepiscopo habitis Reuerendissimus Epicopus Astoricensis ex eadem sede, è qua verba fecerat

rat Zamorensis, infrascripta Decreta publicè, vt ab omnibus audiri possent, perlegit. Deinde Secretarij præsentibus Fiscali, alijsq; testibus Episcopos interrogauerũt, an illis placerent, quæ lecta fuerunt decreta, omnesque placere sibi vnanimes responderunt, excepto Myndoniẽse, qui cum infirmus decumberet venire non potuit ad ecclesiam.

ACTIO TERTIA, ET VLTIMA, IN

Concilio prouinciali Compoſtellano ſub Gaſpare Archiepiſcopo Salmãticæ, & in eiuſdẽ vrbis templo Cathedralis Eccleſiæ habita die Dominica quarto Calend. Maij, anno à Chriſto nato milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, indictione nona, ac Sanctiſsimi, & Domini noſtri Papæ PII. V. pontificatus anno primo, & Catholici, ac inuictiſsimi Regis noſtri Philippi. II. regni anno decimo.

DECRETVM PRIMVM.

QVÆ de reſidentia à generali Concilio Tridentino declarata ſanctiſsimè, & conſtituta, ſunt, prælatos, quos

quos præesse in solicitudine iubet Apostolus, ita præstare conuenit, vt ipsorum residentiam ij, quibus præsunt, frugiferā esse sentiant, & officiosam. Prædicent igitur, subiectos visitēt, sacramentū pœnitētiæ aliaq; Ecclesię sacramēta (si necesse fuerit, aut id expedire cēsuerint) per seipsos administrent, actus pontificales exerceāt, examini, ac probationi eorū, qui sacris initiādi, quive ad benficia curata erunt promouēdi adsint, horas certas statuant, & conuenientes, quibus subditis ad eos liber aditus pateat, & saltem semel quolibet mense & suos carceres visitent, & publicè causas inferiorum (eorū maximè, qui pauperes erunt) in iudicio audiant, atq; à prouisoribus, alijsq;

ministris, quid agatur, & quomodo res eant, inquirant diligenter. Deniq; in omnibus se tum iudices æquos, tum patres indulgentes exhibeant sicut Dei ministros.

Decretum. 2.

EPISCOPI parrochi, & alij, quos prædicare verbũ, curareq; vt prædicetur sacra Tridẽtina Synodus præcepit, quæcũq; de hac re sibi mãdata sunt, seruẽt, & exequãtur, futurũ autem prouinciale Cõciliũ, quã quisq; eorum perficiẽdo negotio adhibuerit diligentiã exquirat, & si quid deesse viderit, iubeat prouideri. Illud quoq; prçlati curent, vt & eis, qui in Ecclesiasticis, aut secularibus carceribus detinebuntur, aliquoties Dei verbum denuncietur.

Decretum

Decretum. 3.

CONGRVIT Episcopis, vt patrũ nomini ex æquo respondeant esurientibus filijs panem benignè, ac liberaliter frangere, & tũ publicè vt cæteros instruant exemplo, tũ etiã in abscondito largè eleemosynas indigentibus dare: quibus si quis viscera clauserit misericordiæ, quomodo charitas Dei manet in eo? Vt autem huic debito satisfaciant, certum ministrum habeant, ad quem pauperum omnium, maximè infirmorum, cura pertineat.

Decretum. 4.

CVM per decentiam habitus extrinseci morum honestatẽ intrinsecam ab ecclesiasticis oportere ostendi Tridentinæ Synodo visum,

ſum fuerit, Epiſcopi non ſolùm ſibi nihil permittant in veſtibus quod non conueniat illorum ſtatui, verùm illud quoque debere ſe præſtare ſentiant, vt ipſorum domeſtici ita ſe modeſtè induant, vt pontificum decet familiares.

Decretum. 5.

CVM modeſta ſuppellectili generale concilium ex aliorum etiam conciliorum ſententia prælatos iubeat eſſe contentos, pretioſis domorũ ornamentis, ſplendidis, curioſis vel prophanis, ſcilicet lectis, tapetis, ſtragulis, auro, argentoq́; plumatis, ſiue telis, quibus intextum ſit aurum argentumve Epiſcopi non vtantur. Quòd ſi quẽquam illorum mandatũ hoc fuiſſe prætergreſſum

futura prouincialis Synodus iudicauerit, præter amiſsionem rerum, in quibus deliquiſſe illũ cenſuerit (quæ quidem eiuſdem Synodi arbitrio pio alicui vſui applicabũtur) in eum pro modo culpæ animaduertat. Cæterùm pontificalibus ornamentis, eiſve, quę altaris miniſterio, cultuiq; diuino deſtinata erunt, nullus hoc loco modus præſcribitur.

Decreto. 6.

FRVGALI victu quotidiano vti, cùm & natura ſaluberrimũ & ſacris teſtimonijs honeſtiſsimũ eſſe probetur, prælati eam menſis adhibeant parſimoniam, quam ab illis cuſtodiri, & plurima iam dudum concilia, & nunc ſacra Synodus Tridentina iubet. Illud quoque

proui-

prouideant diligentiùs, vt aſsidua lectione potiùs colloquijſq; moderatis ac doctis, quàm ſumptuoſa epularum, & condimentorum varietate menſa ſemper referta ſit, ocioſis hominibus, & ſcurris ab actis.

Decretum. 7.

QVæcunque pecuniæ in Eccleſiaſtico foro pœnæ nomine Epiſcopali Cameræ attributæ erũt, nõ ad priuatas rationes, & commoda referantur: ſed in pios vſus, & impenſas in executionem iuſtitiæ faciendas, idque prȩlatorũ arbitrio deinceps erogentur, quibus colligendis, Epiſcopi receptores conſtituãt, qui ſibi, eive, cui ipſi mandauerint, accepti expenſiq; reddãt rationem.

Decre-

Decretum. 8.

IN collatione dignitatum, aut præbendarũ Ecclesiæ Chathedralis, vel collegiatæ, siue alterius cuiuscunq; ecclesiastici beneficij etiã curati, nemo siue prælatus sit, siue eo inferior, ratione tituli, aut institutionis, vel inuestituræ, vel possessionis, vel sigilli, vel subscriptionis, aut alia quacũque occasione, quiquam exigere possit, aut recipere, non obstantibus quibuscũque cõsuetudinibus etiã immemorabilibus, seu Synodalibus cõstitutionib9, etiã si quod acceperint, soleant, ac velint pijs in rebus & religiosis expendere. Quòd si laudabili cõsuetudine, aut obseruata constitutione Synodali obuẽtiones huiusmodi vel earũ pars fabricis Eccle-

Ecclesiarũ, siue alij operi pio fuerit applicata, quod ita debebitur, & reuera persolui consueuit, id prædictę fabricæ, aliaque opera pia iure præfatæ constitutionis, aut consuetudinis posſint percipere: Episcopis autem, vt dictum est, aut alijs inferioribus nihil conferatur: eorum tamen Notarijs, aut Secretarijs, à quibus prędictorum instrumenta conficienda sunt, mercedem habere laboris, & aſsiſtentiæ permittitur, scilicet tres argenteos regales pro quouis titulo, & vnum pro charta, & cera sigilli.

Decretum. 9.

NON fiant de hinc exactiones illæ, quæ pro examinandis ijs, qui apud beneficium aliquod serui-turi

turi ſunt, vel pro licentia adminiſtrã di beneficiũ, aut pro facultate cantandi, vel celebrandi miſſam, ſiue vt caſibus à iure permiſsis bis in die poſsit quis miſſam celebrare, aut pro erectione beneficij, Eccleſię, vel capellæ, aut tranſlatione defuncti, vel Eccleſiæ, à prælatis quibuſdam fieri conſueuerunt.

Decretum. 10.

PRO ſepulturis ipſis, aut pro facultate vt aperiantur, ſiue ratione ſubſcriptionis, ſiue alia quauis occaſione Epiſcopi, alijque inferiores nihil omnino percipiant, etiam ſi quæ inde veniunt, piè ſoleant, & religioſe diſtribuere, non obſtantibus quibuſcunque conſuetudinibus etiam immemorabilibus, aut conſti-

constitutionibus synodalibus, quibus talia illis iura cõcedantur. Si verò laudabili consuetudine, vel constitutione aliqua Synodali sepulturæ gratia dari quicquam fabricæ ecclesiæ piove alicui vsui consuetum est, pie consuetudines hæ, & religiosa hæc iura obseruentur, fabricisque supradictis, & operibus pijs in his integra sint, quæ hactenus habere consueuerunt.

Decretum. 11.

HOSPITIA præbere, nisi visitationis tẽpore Episcopi clericos non posſint compellere.

Decretum. 12.

EPiscopi erga domesticos curam in hoc potiſsimum versari conuenit, probis vt moribus, & religione com-

ne commẽdentur. Habeat quoque prælatus grammaticũ literis & virtute prędictum, ac docendo aptum, à quo pueri, & Ecclesiastici homines, qui in eius erunt famulatu, doceantur.

Decretum. 13.

DECET Episcopus iura illa dignitatis, quæ tot summorum Pontificum, ac Regum beneficijs, & priuilegijs tum, & pia deuotione fideliũ tam aucta acceperunt omnibus viribus sustentare, quod minus difficile obtinebunt, si scripturas omnes ad suam dignitatem pertinentes solicitè conquirant, & renouatis, atque factis authenticis, quas renouare opus erit, & cõprobare, peculiari Archiuo tribus claui

bus obſignato includãt. Vnde quaſi è præſentiſsimo promptuario, finē litibus, & ſibi Chriſtianum ociũ ad maiora negotia obeunda poſsint de promere. Archiuum autem ipſum vbi manere oporteat, & claues quis habiturus ſit, viuente Epiſcopo, aut etiã ſede vacante, ad Epiſcopi ipſius curam pertinebit, à quo ſi hæc prouiſa non erunt, claues quidem à vicarijs, & viſitatoribus de mortui, aut illis abſentibus à prælatis monaſteriorum ordinum antiquiorum religioſorum obſeruantium qui in eadem ciuitate erunt, ita habeãtur, ſede vacante, vt non vnus omnes, ſed ſinguli ſeruent ſingulas. Archiuum verò apud vetuſtioris inſtituti religioſos obſeruantes interim deponatur

natur, dum nouus Episcopus quid sit agendum, decernat.

Decretum. 14.

QVÆ legitima Ecclesiarũ Cathedralium statuta, laudabilesque consuetudines (adhibita ad id si opus fuerit à prælato inquisitione) vigere probabuntur, Episcopus intra sex menses, aut plus eo eiusdẽ arbitrio cum consilio quator ad summũ beneficiatorũ Ecclesiæ cathedralis à capitulo electorũ ordinet, & componat, ac proponat impressa: illud etiã decernens, vt fides eis, & authoritas habeatur, cæteris, quæ non ex eo libro recitabũtur, derogetur: beneficiatis autẽ singulis, vbi primum recepti fuerint, singula præstentur volumina, quę illi absce-

 dentes

dentes ab Ecclesia, vel de vita decedentes restituere teneantur.

Decretum. 15.

CVM à nõnullis Episcopis Ecclesiarum, quæ in partibus infidelium consistunt, non, quæ Iesu-Christi, sed alienas oues quęrentibus, multa plerumq; indignè fieri sacrum Tridentinum Concilium cõmemoret, curent Episcopi, vt, cùm in casibus à iure, & sacro Concilio permissis aliquorum titulariũ Episcoporum opera vti voluerint, bonis eos moribus, & literatura, sufficienti probatione cõmendatos, idoneosq; magis põtificalibus actibus eligant perficiendis: atq; ex his, qui post hac huiusmodi creabuntur, ratione literarum in aliqua vniuersita

te

te graduatos, aut, si religiosi fuerint, iuxta Concilij generalis formam ap probatos. Titulares verò ipsi pontificalia exercētes, nihilque præter salariū, quod illis Episcopi de suo dederint accipientes, Concilium vbique seruent Tridentinum.

Decretum. 16.

QVI prouisores vel vicarij deinceps erunt creandi, intra sex menses à die susceptæ administrationis, doctoris, vel licenciati gradum, si tales non erunt, in aliqua publica vniuersitate, ratione literarum consequātur: atque si ordinati non fuerint, intra annum ordinem sacrum suscipiant. Visitatores autem presbyteri iam, &, vt minimū, baccalaurei designentur.

Decretum. 17.

PRouisores, Vicarij, visitatores, & alij iudices Ecclesiastici ex mulctis, quas in foro Ecclesiastico irrogauerint, nullam sibi partem possint vendicare, imò si qua pars illis cõstitutione, aut cõsuetudine etiam immemorabili, aliove iure applicata erit, pijs vsibus cedat arbitrio Episcoporũ, à quibus prædictis, alijsque ministris, talia sunt stipendia decernenda, vt & liberè, atque integrè iudicare, & susceptum negotium gerere possint incorruptè.

Decretum. 18.

MVnus, domumve prouisores, vicarij, visitatores, fiscales, notarij, cæterique ministri Ecclesiastici non accipiant. Si contrafecerint,

rint, grauibus pœnis à prælatis puniantur.

Decretum. 19.

EPiſcopi per ſe vel per alios, quibus hoc opus delegauerint, ad minus quolibet triennio prouiſores, viſitatoreſque (ab administra tione officiorum triginta ſolum die bus ſuſpenſos, etiam ſi tardiùs ferenda ſententia ſit) viſitent diligenter, alios autem miniſtros ſyn dicatum reddere diſtrictè compellant. Quòd ſiquis ex prædictis ante triennium vel ſponte ſe officio exonerare velit, vel à ſuperiore deponere officium iuſſus fuerit, muneris ad miniſtrati ratio tũc quoq; ab eodem exigatur.

Decretum. 20.

ADVERSVS eiusdem criminis reos (quantum commodè fieri poterit) vnicus processus fiat, atq; eius expensæ non à quouis eorum in solidũ, sed à singulis pro rata parte repetantur.

Decretum. 21.

NOVVM opus faciendum quodcunque illud sit, quod ad ecclesias pertineat, dare, locareve nemo possit, nisi Episcopus, aut is, cui Episcopus mandauerit.

Decretum. 22.

FISCALES dehinc, qui sacris initiati sint, constituantur: aut certè, postquam constituti fuerint, intra annum initientur.

Decre-

Decretum. 23.

PRobationes criminum siue informationes, fiscales, aut notarij absq; speciali cõmissione iudicis cõpetẽtis facere nõ possint. Fiscalis præterea deferre cuiuspiã nomẽ nõ possit, nisi præcedẽte informatione, nec, nisi eadẽ visa primùm, & lecta, eius accusationem iudex admittat.

Decretum. 24.

TRibunalium Ecclesiasticorum notariæ ab his, ad quos earum prouisio pertinet, aut ab illis, quibus datæ de hinc fuerint, vel prouisæ, nec vendi, nec locari vllo modo possint. Si secus factum fuerit, emptor vel conductor officio, venditor, aut locator pecunia ipso iure priuati sint. Qui autem nunc eas ad vitam

posſident, ſemel duntaxat (modò gratis faciant, & in idoneorum fauorem) renunciare poſsint, idq́; ita effici Epiſcopi permittant. Sciant verò hi, quibus ratione huius reſignationis hæc dabuntur officia, ſe nec vendituros, nec locaturos, & libera voluntate conferentium amouendos, iuxta ea, quæ hoc decreto, & ſequenti præcipiuntur.

Decretum. 25.

NOtariorum Eccleſiaſticorum officia, quãtũ vis hactenus perpetua fuiſſe conſtabunt, deinceps tamẽ cũ vacauerint, ſiue per obitum, ſiue per reſignationẽ, ſiue alio quocunq́; modo vacatio cõtingat, amoueri, ac prouideri libera voluntate poſsint

posſint eorum, quorum erit illa pro uidere: atq; in eo tribunali, vbi plures notarij erunt (ſi cõmodè fieri poterit) ſaltẽ vnum ex his officium habenti ordinem ſacrum conferatur.

Decretum. 26.

ILLVD quoque procurent Epiſcopi cùm Tridentinum Cõcilium exequentes notariorũ ſufficientiam ſcrutabuntur, vt ijs tantũ, quos vita, moribus, & alijs ad id munus obeundum neceſſarijs inſtructos eſſe repererint, quorumque domicilium indagauerint, exercendi officij vſum permittãt, & Latina prohibeant tractare eos, qui Latinè neſciãt, abſq; prædicto autẽ Epiſcopali

pali examine ac probatione nemini huiusmodi officio fungi liceat.

Decretum. 27.

NOtarij fori Ecclesiastici, nisi, quæ à litigãtibus acceperint, & singillatim post vnumquemque actum, & omnia simul ad finẽ processus conscripserint, quæcunq; recepisse probabuntur, duplicata restituere pijs vsibus applicanda compellantur. Siquis verò eorum, expensarum titulo amplius debito probabitur percepisse, quadrupli pœnam subeat, ex qua litigatoribus quod præter ius ab illis fuerat exactum, refundatur, reliquum pijs detur operibus, atque vtroque casu, prælatus prout ius esse viderit, puniat delinquentes. Cæterùm notarij ipsi, quid sibi

ſibi debeatur, nominatim pronunciẽt litigantibus, nec id in eorũ manu, aut liberalitate ponant.

Decretum. 28.

QVocũque modo notariatus officium tribunalium Eccleſiaſticorum ad alterum perueniat, primus protocola, ſiue regeſta omniũ, quæ coram ſe acta erunt, ſucceſſori tradat, priùs tamen eorum authentico inuentario facto, quod in Epiſcopi archiuo collocetur: atq; ita ſe facturos prædicti notarij, cùm officij titulus ſibi dabitur, iurent, eaque conditione illis conferantur officia, atque ab illis acceptẽtur. Secretarij quoque Epiſcoporum, vtcunq; officium depoſuerint, nemini regiſtra dent eorum, quæ ab ipſis vt ſecreta-

rijs

rijs facta erunt, sed in prædicto prælati ponant Archiuo.

Decretum. 29.

MINORES viginti duobus annis notarios Episcopi non creent.

Decretum. 30.

RECEPTORES testiũ, & probationum (quos quidẽ post hac à notarijs nominari non liceat) aliorum criminũ non quærant informationes, quàm eorum, quorum causa missi sunt, nec illis commissiones generales, aut non expressis, de quibus debeãt inquirere, vllo pacto cõcedantur. Siquis eas iudex subscripserit, pro singulis sex nummos aureos, ducatos scilicet, soluat fabricæ Ecclesiæ cathedralis, & pijs operi-

operibus ab Episcopo nominandis. Præterea cũ ex officio iudex de delicto aliquo cognouerit, qui recipiẽdis probationibus destinabitur, nihil expensi nomine posſit à litigãtibus exigere, donec à iudice taxatũ fuerit, ac pronunciatum, quantum, & à quibus debeat percipere. Similiterque cùm illi commiſsio dabitur aduersus plures siue eiusdem negocij participes siue diuersorũ, iudex etiam debebit ęstimare, quid ille ab omnib9 pro rata habeat, neq; pati à singulis integrũ salariũ extorqueri.

Decretum. 31.

IN Ecclesijs vbi doctoralis, magistralis, lectoralis, vel pœnitentiaria præbenda, aut quæuis earum ex summorum pontificum diploma-

tibus

tibus, atq; indultis, & generalis Cócilij decretis nondum cóstituta fuerit & deputata, quæ primò vacauerit, vel vacauerint, iuxta prædicta diplomata, & indulta, atque decreta, ad eum vsum constituantur, ac deputentur.

Decretum. 32.

CVM in Ecclesijs cathedralibus huius prouinciæ, atque adiunctis, præbenda pœnitentiario, quæ deinceps vacauerit, conferenda erit, priùs triginta dierum publicis edictis in vniuersitatibus Salmátina, Complutensi, & Pinciana propositis, nulla verò ratione prorogandis, aut breuiandis, siqui eam petere voluerint, conuocentur. Quicùnque autem accesserint, literaturæ,

turæ, & aliarum qualitatum examine probentur.

Decretum. 33.

QVOD ſancta Tridentina Synodus in prouincijs, vbi id fieri poterit, archidiaconos omnes præcipit, alias autem dignitates, & ſaltem dimidiã canonicorum partem cathedralium Eccleſiarum, & collegiatarum inſignium, vbi commodè fieri poterit, Doctores, vel Magiſtros, aut Licẽciatos in Theologia vel iure canonico hortatur inſtitui, id quandoquidem in hac prouincia fieri poſſe, & id quidem cõmodè declaratur, vt generalis Concilij iuſſa, hortatusq́; perficiantur, poſt hac in Eccleſijs cathedralibus, & collegiatis inſignibus, archidiaconatus qui-

cunq; cæteræq; dignitates, & dimidia pars canonicatuũ ab his, ad quos prouiſio, & collatio pertinet, tantũ Doctoribus, aut Magiſtris, vel Licenciatis in Theologia vel Iure Canonico conferantur: atque canonicatus quidem hoc ordine, vt qui primò vacauerit, graduato alicui, vt dictũ eſt, prouideatur: qui ſecũdò, eo modo detur, quo ante hac fieri conſueuit: rurſus, qui tertiò, graduato iterum, atque ita viciſsim, donec dimidia dũtaxat pars canonicatuum, qui in ea Eccleſia erunt, prædictam gradus qualitatem habentibus collata ſit, ea tamen lege, vt, qui ſemel Canonicatus, Doctori vel Magiſtro aut Licenciato prouiſus fuerit, quocũque modo iterum vacauerit, niſi

Doctore

Doctore itidem, Magistro, aut Licenciato non prouideatur, sed Archidiaconatus omnes, atque omnes dignitates, & vt dictum est dimidia pars canonicatuũ vt graduatis perpetuò conferantur, affecta sint. Quos quidem gradus in publicis horum regnorum vniuersitatibus, vel alijs, quæ licet extra hæc regna sint, in his tamen regnis approbatur, idque ratione literarum, & prȩuio seuero examine obtinuisse illos opus sit; qui ad hæc erunt beneficia promouendi.

Decretum. 34.

RESidentia Dignitatum, quæ dehinc à sancto Concilio Tridentino residere præcipiuntur, eo tempore anni incipiat, quo cæterarum

dignitatum & canonicorum, qui in eiſdem Eccleſijs erunt, incœperit reſidentia.

Decretum. 35.

PRIMIS ſingulorũ mẽſium ſecundis ferijs, aut ſi dies is feſtus celebrabitur, eo die, qui proximè feſtus non erit, in Eccleſijs Cathedralibus capitulum ſpirituale cõuocetur, in quo ea ſolùm, quæ de altaris, & chori, cæterarũq; rerum ſpiritualiũ miniſterio conſtituta ſunt, recitentur. Epiſcopi autem cùm grauioribus occupationibus vacui erunt, aut id conuenire putauerint, his, alijſque capitulis interſint.

Decretum. 36.

DIE Corporis Chriſti nullam proceſsio publica, aut priuata in

in monasterio vllo religiosorũ, aut vlla parochia fiat, sed illa solùm, quę generaliter à populo fieri solet, ad quam religiosi quicunq; ex Synodi Tridẽtinæ decreto ad processiones generales accersiri possunt, aduocétur, vocatiq; accedere teneantur.

Decretum. 37.

MONEANT Episcopi parochos, imò adhibita seueritate compellant, vt iuuandis confortandisque morientibus sedulam operam dent: congruit enim illorum ministerio, extremè laborantibus suis, & aduersus communem hostem adeò periculosè decretantibus adesse.

Decretum. 38.

DIEBVS Dominicis, & festiuis, alisq;, quibus ex necessitate pro populo missa celebrãda est, illud debet inuiolabiliter obseruari, vt missa maior de eadem die ac pro populo celebretur, nec ea defuncti alicuius tumulandi occasione, aut popter votiuas missas, & peculiares prætermittatur.

Decretum. 39.

PAROCHI funera parochianorũ domo in sepulchrum deducere teneantur. Religiosi verò apud se humandum cadauer suscepturi vltra monasterij portam, vel cœmeterium crucem ferentes non procedant.

Decretum. 40.

SVpplicationibus publicis ſiue litanijs, aliſjq́ue proceſsionibus, quæ pro deuotione in oppidis, aut extra oppida fieri ſolẽt, aut vigilijs, quæ ad diuorum templa, vel eremitoria deuotionis cauſa ſuſcipiũtur, comeſſationes plerumq́; intemperatiſsimæ, & perpotationes miſcentur, prophanaq́ue alia, & pernicioſa exẽpla, quæ à tam pijs rebus, ac ſanctis arceri procul debent, & amandari. Proinde Epiſcopi quàm maxima poterunt cura, & ſolicitudine, adhibitis etiam ad id cenſuris, & pœnis, hos abuſus & quoſcunque alios in his eſſe ſenſerint, vitari curent & extirpari, vtque in prædictis proceſsionibus, aut vigilijs piè, &

ſanctè omnia peragantur, proui-
deant diligenter.

Decretum. 41.

EXecrabilis eorum cupiditas, qui
præſentando, nominando, inſti
tuendo, renunciando, aut in benefi
cijs alios introducēdo, à quibus, fru
ctus, vel fructuū partem percipiāt,
tanquam ab ſponte dantibus, vel
alijs quibuſcunque artibus Eccle-
ſiaſtica bona per ſuppoſitas, & ſub-
ſtitutas perſonas vſurpare nitūtur,
omnibus modis coercēda eſt. Quæ
cunque igitur de re hac à ſacro Con
cilio Tridentino conſtituta ſunt, ea
prælati ſeuerè, ac diligēter exequan
tur, atque in ſingulis diœceſanis Sy
nodis, alijſque temporibus, ac locis,
quibus

quibus ſibi videbitur, publicari faciant, & declarari populo.

Decretum. 42.

AD prouinciale concilium clerus eũ mittere procuratorem poſsit, quẽ magis è re ſua eſſe putauerit, cui pecuniã quidem propter ſalarium, propterque impẽſas in negotium factas clerus ipſe perſoluat. Imponẽdi verò eam, & exequendi ratio pertineat ad Epiſcopum.

SEcretarij verò Concilij cum Fiſcali, ac alijs, interrogauerunt Illuſtriſsimum Archiepiſcopum, & omnes Reuerendiſsimos patres, placérentne eis decreta, & omnes reſponderunt, Placent. Et ſtatim Cantores incœperũt, & proſequuti ſunt

vſque ad finẽ, Te Deum laudamus, omnibus genibus flexis ad ſtãtibus. Quo finito, Archiepiſcopus ſedens in medio altaris, indutus Cruce pectorali, pluuiali, ac mitra, dixit alta voce: Reuerendiſsimi patres, finitũ eſt Concilium Prouinciale Compoſtellanum, Ite in pace. Voſque Reuerendi procuratores Eccleſiarum, Ite cum benedictione Domini, eadem ſuper omnes Miſſa. Atque ita intra paucos dies omnes receſſerunt in Domino ad ſuas Eccleſias.

FINIS.

GASPAR *Archiepiscopus Compostellanus.*

Ioannes Emilianus Episcopus Legionensis.

Petrus Ponce de Leon Episcopus Placentinus.

Didacus Sarmiento de Sotomayor Episcopus Astoricensis.

Hieronymus de Velasco Episcopus Ouetẽsis Comes de Norueña.

Petrus Gonçalez de Mendoça Episcopus Salmanticensis.

Aluarus de Mendoça Episcopus Abulensis.

Franciscus Delgado Episcopus Lucensis.

Ioannes de Ribera Episcopus Pacensis.

Didacus de Torquemada Episcopus Tudensis.

Iacobus Simancas Episcopus Ciuitatensis.

Ioannes Manuel Episcopus Zamorensis.
Ferdinandus Tricio Episcopus Auriensis.

In quorum fidem infrascripti Secretarij Concilij subscripsimus.

Petrus Velleius Guevara Doctor.

Antonius Alguibar Apostolicus Notarius & Secretarius Concilij.

SALMANTICÆ,

ApudPetrumLassum.

1594.